



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Antonii De Escobar Et Mendoza, Vallisoletani,  
Societatis Iesv Theologi, Vniversæ Theologiæ Moralis,  
Receptiores Absqve Lite Sententiæ nec-non  
Problematicæ Disquisitiones ... Tomus ...**

**Escobar y Mendoza, Antonio de  
Lugduni, 1652-1663**

Sectio II. De Præcepto Decalogi Tertio Problemata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80586](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80586)



## Secl. I. De Precepto III. Problemata. 197

quo non peccat singuli mortaliter. Quia ex eo, quod quis inducat ad peccandum præcise, non plus peccat, quam peccant illi, qui inducuntur. Illi autem qui modico tempore laborant, mortaliter non delinquant. Ergo nec inducens. Sanch. citatus.

<sup>40</sup> Quinta causa est occurfus lucris transitorij. Quia cum Ecclesia indulgeat in die festo halem piscationem, quæ vno tantum anni tempore transire assolent: pari ratione idem est asserendum de piscatione aliorum piscium, qui similiter certo solum tempore anni occurrunt: & de quovis alio lucro transitorio quomodolibet repente occurrente. Quia hoc lucrum transitorium cessans pro grani incommodo reputatur. Sayr. in Clavi. lib. 7. cap. 2. num. 10. Caiet. v. Festus dies. Diana part. 2. tract. 2. resol. 34. Bonacin. tom. 2. d. 5. quæ. 1. vni. puncto 3. num. 15. Nauar. sum. cap. 13. num. 9.

<sup>41</sup> Sexta causa est absentia à loco, in quo dies festus celebratur. Quia nullus tenetur legibus sui domicilij, quæ non obligant in loco, ubi pro tempore reperitur. Unde Burgensis civis Valisoleto existens, potest laborare in die festo, qui Burgis colitur. Suar. l. 2. cap. 1. d. n. 11. Nauar. sum. cap. 13. num. 5. vbi etiam sect. 2.

<sup>42</sup> Septima dispensatio, quam dare potest Pontifex valide etiam sine causa. Episcopus autem dispensare potest in festo proprio suæ Diocesis, etiam absque causa. At si dispense in festo de iure communi sine causa, nulla erit dispensatio. Quia esset in lege Superioris. Quando au-

tem causa esset euidenter iusta, non est opus dispensatione, nisi ad vitandum scandalum, & pro foro externo. In dubio verò causa iusta, & sufficientis ad seruilitate laborandum, adeundus est Episcopus, si commodè possit: si non, Parochus ob iustam causam ex consuetudine in aliquibus casibus parcularibus dispensare, tum quia consuetudine potest iurisdictio acquiri: tum quia ad regendam animarum ob crebros, ac quotidianos casus hæc potestas Parochis moraliter est necessaria. Huiusmodi licentiam non possunt iudices seculares impendere: nec panire illos, qui prauia Episcopi licentia operibus seruilibus die festo vacauerint, vt declarauit Sacra Cõgregatio Cardinalium apud Dianam p. 5. tract. 1. resol. 94. Suar. l. 2. c. 33. num. 3. Sayr. in Clavi. l. 7. c. 3. nu. 18. Azor. to. 1. l. 1. c. 18. q. 6. Reginal. l. 19. num. 54. Filhiuc. tract. 2. num. 215.

Potest Episcopus impertire alicui facultatem seruilitate laborandi hac de causa seu onere adiecto, vt aliquid conferat in vsus pios, quamvis necessitas non urgeat: vt ad emenda luminaria borandi sub pro aliquo Templo, aut sacello, dummodo causa absit scandali. Quia hoc onus non imponitur nisi in vsus pios conferantur. Potest Episcopus anre licentiam leuare aliquid in vsus pios conferantur.

### SECTIO SECVNDA.

#### De Precepto Decalogi tertio Problemata.

#### CAPVT IV.

*Circa ea, quæ ad Preceptum de Sanctificationis Festis in communi pertinent.*

#### PROBL. I.

*Dies Dominici observatio est, & non est iuris diuini.*

<sup>44</sup> CONVENIENTER admodum Ecclesia obseruationem diei Sabbati indicta Hebræis in diem dominicū commutauit. Id quid statuerunt Apostoli cœlesti ducti consilio statim post Christi Domini Resurrectionem in eius memoriam. Nam vt eo die primum lux orbi terrarum illuxit: sic Seruatoris nostri, qui ad cœlum nobis aditum patefecit Resurrectione, quæ eo die fuit, è tenebris ad lucem vita nostra, (verius mortē dixerim) fuit reuocata. Idē Apostoli sacrum hunc diem Dominicum vocitari voluerunt. Azor. p. 1. l. 1. c. 2. q. 3. Suar. to. 1. de Relig. l. 2. c. 2. n. 11. Fagund. l. 1. in Decal. c. 1. n. 6. Palaus tr. 9. d. 1. p. 1. n. 1. Quæserim autem, num diei Dominici obseruatio indicta Ecclesiæ ab Apostolis, sit iuris diuini?

<sup>45</sup> Iuris diuini est. Quia successit Sabbato, cuius obseruatio iuris diuini erat. Ius hoc datū Apostoli. Esch. & Mend. Theol. Moral. Tom. IV.

stolis, qui Ecclesiæ tradidere Sic Butrio Anchor. Abbas ad c. 3. de feriis, relati à Santio in Consil. l. 5. c. 1. dub. 1. n. 2. Auct. Supplem. ad Sum. Pisan. vt testatur Palaus citat. Angel. v. Feria, n. 3. Syluester v. Dominica. q. 1. asserens, aliquos dies festos esse iuris diuini, vt dies Dominica festum Natiuitatis Domini, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, & Epiphania. Et licet addiderit: Dominica successit Sabbato, non diuina, sed Ecclesiastica constitutione: vnde arguit Leander de præc. Eccl. tr. 1. d. 1. q. 8 Doctorem mutasse sententiam: non tamen mutauisse reor, sed exposuisse. Ac si diceret: Dies Dominica, cuius obseruationis Apostoli diuinitus accepere legem, eam Ecclesiæ intimarunt, Ecclesiæque ab Apostolis acceptam fidelibus præscripsit.

Non est iuris diuini, sed Canonici. Quia nulli tale præceptum datum à Christo reperitur. Ita D. Tho. 2. 2. q. 1. 2. a. 4. ad 4. Caiet. ibi. Azor. l. 1. de præc. c. 2. q. 2. Suar. tom. 1. de Relig. l. 2. c. 4. num. 8. Fagund. de Eccl. præcep. 35. l. 1. c. 2. num. 3. Bonac. d. 5. initio. Palaus to. 2. tr. 9. p. 1. num. 1. Sanch. Consil. l. 5. c. 1. dub. 1. n. 3. Trull. l. 1. in Decal. c. 1. dub. 1. n. 4. Llamas p. 3. metho. c. 5. §. 1. Balsaus verb. Festum 1. num. 2.

Infirmum equidem primæ sententiæ fundamentum inuenio. Vndenam enim constat Apostolos præceptum diuinum de Dominice obseruatione Ecclesiæ indicendum accepisse? Idē secundam sententiam tor grauibus Doctoribus approbatam longe probabiliorem esse asseruimus.

R. 3 PROBL.



## PROBL. I.

*Obseruatio Dominici diei potest, & non potest humana lege, vel consuetudine abrogari.*

48  
Abrogari non potest.

**A** Brogari non potest. Quia est iuris diuini, ad cuius abrogationem nihil humana lex, aut consuetudo potest. Sic nonnulli Doctores ad cap. Licet, & cap. Conquestus, de feriis. Abbas ibi. & reliqui asserunt obseruationem Dominici diei iuris diuini esse: nempe Angel. verb. Feria, num. 3. & Syluest. verb. Dominica, questio. 1.

49  
Potest abrogari.

Potest abrogari simpliciter loquendo Quia introducta est lege humana. Ita Suar. libr. 2. cap. 4. num. 9. Fagund. prec. 1. Eccles. lib. 1. cap. 2. num. 4. Palas tractat. 9. d. 1. puncto 1. num. 4. Balaeus verb. festum 1. num. 2. Azor. lib. 1. de 3. praec. Decal. cap. 2. quest. 2.

50  
Abolute posse abrogari existimo, sed nunc quo abrogabitur.

Profecto quasi de Ecclesia absoluta potentia obseruationem diei Dominici mutari, aut tolli posse crediderim. At de facto nunquam abrogabitur lege, aut consuetudine. Quia licet sit Ecclesiasticum praecceptum, est tamen tam propinquum diuino, & ita confirme legi naturali, vt secundum potentiam ordinariam abrogari omnino, aut tolli non possit, quamvis bene in particulari dispensari.

## PROBL. III.

*Est, & non est praecceptum diuinum, vel naturale de instituendis aliquibus festis diebus.*

51  
Non est praecceptum diuinum.

**M**inime quidem est. Quia in scriptura Canonica non habemus traditam, quod Christus Dominus alicuius festi obseruationem instituerit, vel vllum de hac re praecceptum suae Ecclesiae tradiderit: cui sane praeter Fidei, & Sacramentorum leges nulla praeccepta poscitur tradidit, sed suis Ministris tradenda commisit. Sic Suar. lib. 2. cap. 2. & cap. 4. num. 8. Fagund. libr. 1. de 5. Eccles. praec. capit. 2. numer. 3. Palas tom. 2. tractat. 9. d. 1. puncto 1. numer. 4.

52  
Est praecceptum diuinum.

Est praecceptum diuinum & naturale de aliquibus diebus festis instituendis. Quia praecceptum diuinum verus de festis sanctificandis adhuc quoad morale permanet: sed moribus maxime necessarium, esse aliquem diuinum cultui dicatum: Ergo & aliquos festos institueret. Difficile enim seruari ab omnibus posset praecceptum de Deo colendo, nisi vniuersaliter ad id dies festus omnibus institueretur. Ita Coar. lib. 4. variar. cap. 19. num. 1. Corduba, quem citat, ac sequitur Sanch. Consil. lib. 5. cap. 2. num. 4.

53  
Eius probabilitas esse crediderim.

Probabilis esse credo, praecceptum diuinum naturale esse de festis instituendis ad Dei cultum quamvis qui, & quot dies, & quomodo feriandi sint, Ecclesiae est arbitrio relictum. Nec ex eo quod hunc diem, neque alium Christus signauerit, inferitur, Ecclesiae suae satis

non prouidisse Prouidit equidem: si quidem suo Vicario potestatem reliquit designandi diei, prout magis expedire iudicauerit: & insuper imperant proculdubio ralem designationem. Proxima verba haec à P. Castro Palas accipi. Quem quidem Leander de praec. 1. Eccles. tract. 1. d. 1. quest. 10. arguit inconsequentiam, quia paulo superius dixerat, nullum de hac re praecceptum à Christo Domino fuisse Ecclesiae traditum, sed suae Ecclesiae commississe. Commisit quidem suae Ecclesiae, vt praecceptum hoc praescriberet, & imperauit, vt designationem dierum festorum speciatim exprimeret. Passim Leander annotat Doctores sapientissimos inconsequenter fuisse locutos, & id non semel per transennam indicat sed in eadem questione saepe inculcat, vt in hac: postquam enim dixerat, Imò & Castro Palas licet oppositam sententiam tueatur, & ideo non consequenter: mox replicat censuram, Sic T. alao, sed certe non consequenter ad suam doctrinam. Facilius est, reuerende Pater, captam sapientis cuiusque subterfugere Doctoris scribentis sensum, quam doctissimum virum inconsequenter fuisse locutum.

## PROBL. IV.

*Festi dies à media nocte vsque ad alteram mediam noctem debent, & non debent vniuersaliter computari.*

**C**omputari non debent à media nocte in mediam noctem, sed quoad cessationem operibus terilibus incipiunt, & finiuntur à vespere in vespere, vel ab initio diei festi, diluculo. Quia sic vniuersim ferè vbique terrarum festa coluntur. Sic Abbas ad cap. 1. de feriis. Angel. verb. Dies, initio. Syluest. verb. Dominica, & alij.

Debent computari vniuersaliter non à vespere in vespere, sed à media nocte in mediam noctem. Quia vbique ferè vsu receptum est, vt dies festi sic colantur iuxta Romanam consuetudinem, quae est totius Ecclesiae norma. Ita Suar. lib. 2. cap. 3. 1. num. 4. Nauar. sum. cap. 13. n. 5. Filliuc. tract. 27. num. 78. Layman. lib. 4. tract. 7. cap. 2. num. 1. Bonac. tom. 2. d. 5. quest. vii. punct. 1. num. 7. Manu. part. 1. cap. 12. num. 4. Sanch. Consil. lib. 5. cap. 2. dub. 5. num. 5. Trul. praec. 1. Decal. cap. 1. dub. 2. num. 6. Palas tractat. 9. d. 1. punct. 3. num. 3.

Ego quidem existimo, diem festum pro diuersitate regionum diuersimodè computari, vt expresse dicitur c. Quoniam, de feriis. Aliquando à vespere diei praecedentis vsque ad sequentis vespere iuxta cap. 1. & 2. de feriis, & cap. 1. de consecrat. dist. 3. At in Hispania Gallia, & Italia à media nocte vsque ad mediam noctem dies festus computatur continetque viginti quatuor horas. Vnde vniuersaliter loquendo haec est communis computatio. Hinc subtraxerim Pedrazam qui in sum. praec. 3. Decal. docuit, in Hispania ex generali consuetudine festum diem inchoari vespere praecedenti, & sequenti vespere terminari: quod falsum omnino.

PROBL.



PROBL. VI.

*Humana potestate spatium viginti & quatuor horarum dei festi valet, & non valet imminui.*

57 *Certum sup. p. 106.* Certum est posse institui diem festum colendum solummodo usque ad meridiem. Quia non est ius diuinum, aut naturale, quod id prohibeat. Optime ergo Pontifex poterit pro vniuersali Ecclesia dimidij diei festum constituit; vel usque ad meridiem (in quo casu necessarium audiendum est Sacrum) vel à meridiè usque ad vesperam. Suar. l. 2. c. 1. §. 8. Quæstio- rim verò, an potestate humana spatium vigin- ti quatuor horarum festi iam instituti immi- nuatur?

58 *Non potest imminui.* Non potest imminui speciatim in Domini- ca, in festis Natalis, Epiphaniæ, Ascensionis Domini, & Pentecostes. Quia festa hæc sunt iuris diuini, & per viginti quatuor horas in- tegras celebrantur. Sic Angel. v. *Dies initio, Syluest. & supplem. Pisa v. Dominica.*

59 *Imminui potest.* Imminui potest omnium festorum dierum spatium. Quia omnis diei festi etiam Domini- cæ observatio est iuris humani, (vt vidimus) & quod viginti quatuor horarum spatio co- li debeat: Ergo potestate humana illud potest spatium imminui. Ità Azor. *p. 2. l. 1. cap. 26. quæst. 1. & cap. 28. quæst. 9. Suar. l. 2. cap. 11. nu- mer. 9. Leand. de præc. Eccl. tract. 1. d. 1. quæst. 19.*

60 *Mibi hoc certum.* Hoc adeo certum esse reor vt iudicem, me- rito P. Suarez citatum dixisse contrariam sen- tentiam esse improbabilem: & c. 10. num. 2. ef- se falsam: & cap. 3. numer. 3. esse ridiculam. Attamen eam Leander probabilem esse fate- tur dicens, nostram esse longè multo proba- biliorē.

CAPVT V.

*Circa eos, qui facultatem habent dies festos instituendi.*

PROBL. V.

*Episcopi habent, & non habent ius diem festum instituendi alicuius nondum in sanctorum numerum relati à Pon- tifice.*

61 *Habent qui- dem.* HABENT quidem. Quia cap. Con- questus, numer. 2. absolute & sine li- mitatione habetur, eos dies festos agi oportere, quos singuli Episcopi in suis Diocesisbus vna cum populo & Clero colendos esse duxerint. Sic Vincent. & alij veteres Canonistæ, teste Abbate ad cap. Con- questus, & cap. Pronunciandum, de feriis. Et Azor. citandus horum sententiam innuit esse probabilem, dum oppositam vocitat verio- rem.

Minimè habent. Quia Alexand. III. cap. 1. de relig. & vener. SS. expressè decreuit, & decla- ruit, minimè licere pro sancto aliquem cole- re, aut venerari absque Romani Pontificis au- thoritate. Ergo Episcopi nequeunt vllius sancti nondum à Pontifice in sanctorum relati nu- merum diem festum instituere. Ità Suar. l. 2. c. 11. num. 5. Palastrat. 9. d. 2. pun. 2. num. 2. Azor. tom. 2. l. 1. cap. 26. §. 4. Sanch. l. 2. Decal. cap. 43. num. 9. & in consil. l. 5. cap. 2. dub. 5. m. 6. & alij communiter.

Fateor Episcopos pro suis Diocesisbus posse dies festos designare, vt expresse habetur cap. 63 *Esse olim hæc conquestus, de feriis, ibi: Ceterisque solemnitati- bus, quas singuli Episcopi in suis Diocesisbus cum Clero, & populo duxerint, solemniter vene- randas.* Porro hæc festiuitates ab Episcopo desi- gnandæ debent esse Christi Domini, Beatissi- mæ Virginis, vel alicuius Diui à Pontifice in sanctorum numerum relati. Quia estd olim potuerint Episcopi sancti non declarati à Pon- tifice instituere festum: iam minimè possunt ob expressam Alexandri III. prohibitionem merito la am propter inconuenientia, quæ ex singularem Episcoporum approbatione po- terant prouenire.

PROBL. VI.

*Beatificante Pontifice aliquem sanctum licet, & non licet cuiuslibet Episcopo festum illius publicè instituere.*

NON licet. Quia cum Pontifex aliquem sanctum beatificat solum permittit ali- cui Prouinciæ, vel Religioni, in illius me- moriam, vel honorem Sacrificium offerri, ho- râlve Canonicas recitare: Ergo non permittit festum instituere præcipue extra illam Prouin- ciam, & Religionem, vbi non est concessa illius Diui celebratio: alias nulla esset huius sancti beatificati à Canonizato differentia. Sic Sanchez tom. 1. sum. l. 2. cap. 43. num. 9. Azor. tom. 2. l. 1. cap. 26. quæst. 4. Barbo. in collect. tom. 1. l. 1. tit. 9. cap. 5. numer. 24. Villalob. tom. 2. sum. tract. 32. dub. 1. numer. 3. Diana punct. 3. tract. 5. resol. 9.

Licet omnino cuiuslibet Episcopo in sua Diocesi de Sancto à Pontifice beatificato festum instituere. Quia eo ipso, quo Pontifex in honorem alicuius Sancti diuinum Sacrifi- cium ab aliqua persona celebrari permittit, vniuersæ Ecclesiæ prouidit talem sanctum adorandum, & colendum quolibet solemn- cultu: nam Sacrificium est cultus publicus no- mine totius Ecclesiæ factus, & omnium ma- ximus: Ergo tacite permittit, vt quolibet alio inferiori cultu celebretur: ac proinde per- mittit, vt in sanctorum catalogo referatur, in publicis precibus innocetur. Tempia, & aræ in eius memoriam erigantur, horæ Canoni- cæ recitentur, eius imago cum diademate de- pingatur & in altari adoranda collocetur: ac tandem festa instituantur: quia omnes hi cul- tus inferiores sunt cultu per Sacrificium exhi- bito. Ità Palaus tom. 2. tr. 2. tract. 9. d. 1. pun. 2. nu- mer. 3. Suar. l. 2. de festis, cap. 11. num. 5. Fagun- de §. præc. l. 1. cap. 3. 14. & 15. Bellarm. l. 1. de

R 4 Beat.



Beat. Sancti. c. 7. Trull. De Decal. l. 3. dub. 2. n. 2. Granad. 2. 2. contr. 1. tract. 7. d. 4. sect. 1. n. 11. Rodrig. tom. 3. sum. cap. 168. & alij apud Diam. citat.

66 Hoc probabilius duxerim. Quia Beatificatio nil aliud est, quam quedam Canonizatio minori apparatu, ac p[ar]te celebrata, sed Episcopi possunt instituere festa Sanctorum qui iam sunt Canonizati. Ergo idem poterunt in Beatificationum honorem. Nec hinc fit, Beatificationem à Canonizatione non distingui. Distinguntur enim ex maiori vel minori solemnitate huiusmodi: quæ quidem est accidentalís non substantialis distinctio. Per Beatificationem enim aliquibus tantum personis officium, & Missa Sancti beatificati permittitur iuxta Missalis regulas: & non omnibus diebus, sed aliquibus tantum, ut per Canonizationem solet omnibus permitti, ac sæpe mandari. Addo, plures esse Sanctos Canonizatos, & quibus non permittitur secundum Breuarij regulas officium, & Missa celebrari, tamen ex devotione id fieri possit. Ergo esto non omnibus Provinciis permittum sit sanctum beatificationis Missa officio celebrare, regulis Missalis & Breuarij spectatis: at ex devotione bene poterunt.

## PROBL. VII.

¶ Episcopus diei Festi obligationem constituit, requiritur, & non requiritur necessarius Cleri, ac populi consensus, vel pro vna vice vel altera.

67 Non requiritur. Quia nullibi habetur, Episcopum absque populi consensu non posse festa statuere. Nam in c. 1. de consec. dist. 3. solum dicitur, festivitatem illam observandam esse, quam Episcopi in suis Diocesisibus cum populo collaudauerint: Stat enim optimè, quod populus simul cum Episcopo festivitatem collaudet eo precise, quod eius institutioni afflatur: quamvis consensum non præbeat. Item in c. Conquestus de feriis. tantum dicitur, observandas esse illas festivitates, quas singuli Episcopi in suis Diocesisibus cum Clero, & populo duxerint, solemniter venerandas: sed ex eo quod Episcopus Clero, ac populo præfente Solemnitatem celebrandam duxerit, tamen si Clerus, & populus consensum non præbeat; sufficit ut dicatur, cum Clero & populo iudicasse, solemnitatem illam venerandam esse: Ergo consensus Cleri, ac populi non requiritur. Addo, Clerus & populus non habent auctoritatem festa instituendi, sed solus Episcopus: Ergo solum eius consensus, non Cleri, ac populi est necessarius. Sic Fagund. de prac. Eccl. lib. 1. cap. 3. num. 11. Palaus citandus. Licet non absolute, sed pro vna vel altera vice id posse Episcopum edoceant.

Requiritur omnino.

Nec pro vna, vel altera vice de iure id Episcopus potest. Non quia ipse populus, vel Clerus festum instituunt per suffragia quasi æclesiasticæ quia ipse Episcopus, cui totum hoc officium, & iurisdicctio commissa est non habet potestatem nisi sub hac conditione, quod populus, & Clerus consentiat. Ità Covar. l. 4. variar. c. 19. m. 9. Azor. p. 2. l. 1. c. 16. q. 2. & 4. Suar.

10. 1. de Relig. l. 2. cap. 11. n. 9. Barbo. p. 3. de potest. Episc. alleg. 105. num. 26. Fagund. de 5. prac. l. 1. cap. 3. numer. 10. & 11. Palaus tom. 3. tract. 9. d. 1. pun. 2. num. 5.

Hoc certum existimo, Quia in c. de consec. dist. 3. & ult. de feriis, potestas instituendi festa, Episcopis limitatur ut absque Cleri & populi consensu uti ea non valeant: siquidem pro forma festivitatis observandæ statuitur: In cap. 1. de consec. Vt populus cum Episcopo eam collaudet: collaudatio autem fieri non potest sine consensu ac approbatione illius, Ergo ex vi huius capituli hic consensus requiritur. Idem constat ex cap. Conquestus de feriis, tum ex illis verbis, Cum Clero, & populo: illa enim particula copulativa Cum Cleri, ac populi consensum denotat. Tum ex verbo, Duxerint, quod ad solum Episcopum nequam potest referri. Ratio autem quare Cleri, ac populi consensus expostulatur, est, qui non est conveniens ut Episcoporum festorum præceptis illos remittentes aggrauet. Hic autem Cleri, ac populi consensus sufficienter habetur, ut annotat Suarius cap. 11. numer. 9. ex eo quod sciens, Episcopum festivitatem aliquam statuere, non contradicat.

## PROBL. VIII.

Ex vi consuetudinis potest, & non potest Episcopus dies festos constituere absque Cleri, seu Capituli consensu: vna vel altera vice.

70 Inimè potest. Quia contraria consuetudine hæcenus id iuris abrogatum esse minimè non videmus. Sic Azor. tom. 2. l. 1. cap. 26. quest. 1. 3. Trull. l. 3. Decal. dub. 2. num. 2. citans Castram Palaos sed non vndique bene. Suarium, Bonacinam, & Barbosam. Porò id nec vna, aut altera vice ex horum Doctorum mente poterit Episcopus gerere, quia Capita citata absolute loquuntur.

Potest equidem de consuetudine Episcopus absque Cleri ac Capituli consensu dies festos constituere: saltem si non in perpetuum, sed pro vna, aut altera vice. Quia in hoc præcepto non multum populus gravatur: & cum quodsi sit illa restrictio, & limitatio potestatis Episcopalis: sufficit si de institutione festivitatis per modum statuti intelligatur: & non de institutione, quæ vna vel alia vice præcipitur. Ergo verius id poterit cum consuetudo fauet. Hanc favere asserit Fagund. de prac. Eccl. l. 1. cap. 3. n. 8. & 11. Palaus to. 2. tract. 9. d. 2. pun. 2. num. 6.

Ego autem existimo, posse Episcopum ex vi consuetudinis dies festos pro sua Diocesi absolute instituere absque sui Cleri, aut Capituli consensu, non tamen absque eius consilio. Fatur non absque Fagundæ n. 11. De consuetudine tamen iam receptum est, ut dies festi sola Episcopi auctoritate adhibito consilio Clericorum, non tamen suffragio, statuuntur. Azor. to. 2. l. 1. c. 16. q. 1. Suar. to. 1. de Relig. l. 2. c. 11. n. 9. Quæ quidem consuetudo servanda est, ubi introducta fuerit. Ità Fagundez. Idè asserit Bassæus Festum. 1. n. 13. Bonac. to. 2. d. 5. pun. 1. n. 3. Diana p. 4. tract. 4. resol. 178. Leand. tract. 1. de prac. Eccl. d. 2. q. 10.

PROBL.



PROBL. IX.

*Episcopus potest, & non potest Dies festos sine populi consensu constituere ex vi consuetudinis.*

<sup>72</sup> Non potest id Episcopus. Quia absolute repetita sæpè iura pronunciant debere Episcopum ad festorum institutionem populi, qui grauandus est consensum expectare. Sic Villalob. p. 2. *sum. tr. 132. diff. 1. n. 3.*

<sup>73</sup> Potest id quidem Quia sic more receptum. Ita Azor. *tom. 2. l. 1. c. 26. quest. 2.* Consuetudine (ait) receptum est ut nunc dies festi, populo minimè vocato, sola Episcopi auctoritate, adhibito Clericorum consilio constituti indicantur. Fagund. *de præc. Eccl. l. 1. c. 3. num. 11.* Palauz *tom. 2. tract. 9. d. 1. punct. 2. num. 6.* Trul. l. 3. *Decal. dub. 1. num. 2.* Diana, p. 4. *tr. 3. resol. 178.* Filiuc. *tr. 27. n. 86.* fatur: Intelliguntur etiam hæc stando in iure communi: nam per consuetudinem videtur huius iuri derogatum. Solent enim Episcopi cum consilio clericorum vel aliquorum de clero hæc præcepta populo dare, illo non vocato, nec consulto.

<sup>74</sup> Existimo, ex consuetudine ferè in cunctis *Quid Auctor.* diocesis haberi, consensum populi non requiri. Illo enim minimè vocato, & requisiti, Episcopus ex Capituli consensu, & non citra illum, festos dies instituit. Barboz. p. 3. *de potest. Episc. alleg. 105.* asserit posse, Episcopum in synodo statuere festiuitates aliquas obseruandas absque populi consensu: & citat Cassanæum *catal. de gloriæ mundi p. 3. confid. 48.* Marc. Anton. Genues. *in praxi Neapolit. c. 51.* ubi ad textum in *c. vlt. de feriis* respondet. Monuerim, ubi ius populi non fuerit ex consuetudine abrogatum, & ideo consensus eius requiritur: tunc sufficienter haberi per hoc solum, quod non contradicat.

PROBL. X.

*Consuetudo totius Cleri, & populi habet & non habet vim introducendi dies festos, sine Episcopi consensu.*

<sup>75</sup> Certum est, solam laicorum consuetudinem non posse introducere, vel abrogare dies festos. Quia obseruatio festorum debet esse communis tam clero, quam laicis: Ergo non potest consuetudo laicorum legem vniuersalem & communem introducere, clericosque obligare. Posset autem ea consuetudo laicos ipsam introducentes obligare. Si Episcopus eam approbaret: aliter nullo modo. Suar. l. 1. c. 12. n. 5. Azor. *tom. 2. l. 1. c. 26. q. 6.* Quæsierim autem, an saltem totius populi, & cleri consuetudo vim habeat introducendi, dies festos sine consensu Episcopi.

<sup>76</sup> Habet quidem. Quia consuetudo mixta clericorum vim habet abrogandi dies festos. Ergo & introducendi: eisdem enim est potestas introductio, quam abrogatio. Sic Bonac. *tom. 1. dist. 5. q. vni. punct. 1. n. 5.*

Minimè habet. Quia consuetudo mixta clerici, & populi nullatenus habet vim abrogandi dies festos: Ergo nec introducendi, nisi calu, quo consensus Episcopi, saltem implicitus accedat. Nam consuetudo non potest habere vim introducendi vel abrogandi aliquod festum, nisi quatenus vim legis habet: At non potest vim legis habere, nisi includat consensum, aut voluntatem eius qui potest legem ferre: Ergo sine consensu Pontificis aut Episcopi, sine qua non potest ea lex ferri, consuetudo vlla non valet introducendi, vel abrogandi dies festos. Ita Suar. *citatus.* Azor. *ubi supra, Fagund. l. 1. de Eccl. præcep. c. 6.*

Profecto sola consuetudo totius populi & cleri scita & tolerata ab Episcopo potest introducere, aut abrogare dies festos: quia ea sola legis vim habet. Quare secundam sententiam verè vnicè esse asseruerim.

PROBL. XI.

*Episcopus aliquot dies festos abrogat, & non obstante tali abrogatione, populus eorum obseruationem continuat: Tunc consuetudo manet, & non manet in suo vigore, ad obligandum.*

In suo vigore manet, ac si huiusmodi dies abrogati non essent. Quia Episcopus qui sine populi consensu nequit festum instituere, ita nec renuente ipso poterit abrogare: & lex, continuante populi obseruatione, in suo antiquo robore persistet. Sic Sayr. *in Clauis, & nonnulli Doctores*, quos Fagund. presslo nomine, memorat *de Eccles. præc. l. 1. cap. 6. num. 5.*

In suo vigore non manet ad obligandum. Quia Episcopus per abrogationem, obligationem tollit, quam populus sibi imponere non potest, nec consuetudo potest illos obligare, cum iam ob Episcopi abrogationem in suo robore non persistit. Ita Fagund. *citatus.*

Hod teneo, & expono. Non potest populus hanc obligationem subire postquam illam Episcopus abstulit, nisi ex consuetudine noua, quæ quidem non potest populum obligare nisi post decem annos. Nam præterita consuetudo, quæ vim legis habebat, iam est abrogata: ita verò de nouo tunc incipit, & non potest habere vim legis, nisi postquam per decem annos fuerit præscripta. Quare dicendum est, non manere consuetudinem antiquam in suo vigore, nec obligare. Sed verò post Episcopi abrogationem populus cesset aliquantulum, & postea incipiat obseruare, consuetudo ex tunc incipiet, non tamen obligabit, quoad usque per decennium præscripta, ac continuata fuerit: tot enim anni necessarii sunt, ut consuetudo præscribat, & obliget. Quare intra illos decem annos nullus de populo tenebitur, cessante scandalo, eos dies obleruare.

PROBL.



## PROBL. XII.

*Excusatur, & non excusatur certum genus mechanicorum, cum consuetudo est, eos solum operari, reliquo populo festum obseruante.*

81  
Non excusa-  
tur.

**N**on excusatur certum genus mechanicorum, v. g. factorum, aut futorum à peccato, si consuetudo sit, eos solos operari die aliquo festo, reliquo populo illud obseruante? Quia huiusmodi consuetudo repugnat iuri communi: consuetudo autem ut vim obtineat, non debet iuri communi repugnare; nam ius commune præcipit, dies festos asservari ab omnibus. c. omnes dies, de feriis. Sic Rosella v. Feria n. 5.

82  
Excusatur  
equidem.

Excusatur equidem, dummodò ea consuetudo expresse vel tacite sit à loci ordinario approbata. Quia designatio diei festi est de iure humano: Ergò potest consuetudine abrogari, minui, ac mutari: & consequenter licite introduci, ut certum illud genus artificum festum non obseruent, quando reliqui pro populi præscripta consuetudine illud obseruant. Ita Fagund. de præc. Eccl. l. 1. c. 6. num. 11. Tabie. v. feria, n. 14. Sayr. in Clauis, l. 7. c. 1. n. 13. Philarc. de offic. sacerdot. p. 2. l. 3. c. 23. notab. 3. Azor. tom. 2. l. 1. c. 26. q. 10. Caiet. v. Festor. violat. Syluest. v. Dominica, q. 1. Antonin. p. 1. tit. 9. c. 7. §. 1.

83  
Hoc legem  
mihi probabi-  
lium.

Longè hoc probabilis. Quia in vna eademque vrbē possunt esse variae leges instæ, ac rationabiles pro variis, diuersisque mechanicorum, vel mercatorum communitatibus, quibus illi gubernantur, quæ leges obseruandæ sunt. Constituit enim vnumquodque mechanicorum genus suam veluti rempublicam, quæ suis particularibus legibus gubernatur: & quod possunt leges efficere, potest consuetudo. Quod si maior mechanicorum pars illum diem obseruaret, minore non obseruante: non excusaretur minor à lethali piaculo; non tamen è contra: quia dignius ad se trahit minus dignum: & minor pars tenetur maiori conformari.

## PROBL. XIII.

*Seculares Principes habent, & non habent potestatem obligandi populum, dies festos obseruare.*


84  
Habent pote-  
statem huius-  
modi.

**P**rincespēs sæculares habent potestatem obligandi subditos & ad culpam, & ad penam, ut ab operibus seruilibus hoc vel altero die assignato, tamen non possint ad Missam audiendam. Prior pars probatur: quia abstinentia ob operibus seruilibus non est quid spirituale, ac sanctum formaliter; sed indifferens. Et spirituale sit, si in Dei cultum fiat: & temporale, si in temporarium finem dirigatur: Ergò à potestate laica potest imperari. Posterior pars liquet: quia est res omnino spiritualis, & extra laicam potestatem. Sic D. An-

tonin. p. 2. tit. 9. c. 7. §. 1. Syluest. v. Dominica, q. 2. Sa v. Festum, num. 1. Sayr. in Clauis, l. 7. cap. 1. num. 17.

Potestatem non habent obligandi subditos, ut statutum diem festum obseruent non solum qua parte continent obligationem audiendi Missam: de qua est certum; sed qua parte continent obligationem cessandi à seruilis opere. Quia cessatio, quæ per hos dies imperatur, est externus Dei cultus, iuxta illud: *Memento, quod diem sabbati sanctifices*: præcipitur enim, diem festum hac cessatione sanctificari, saltem externa, & patenti sanctificatione: sed potestas laica ultra materiam ad gubernationem politicam pertinentem, non progreditur: Ergò de materia hac spirituali nihil potest præcipere. Ita aliis relatis Suar. tom. 1. de Relig. l. 1. c. 12. num. 2. Azor. p. 2. l. 1. c. 26. quæst. 5. Fagund. de præc. Eccl. l. 1. c. 5. num. 2. & 3. Bonac. tom. 2. d. 5. q. viii. pun. 1. num. 5. Barbosa p. 3. de potest. Episc. alleg. 105. n. 38. Palaus tom. 2. tit. 9. d. 1. punc. 1. n. 9.

Ergò autem affirmari, his Doctoribus hærens, cessationem ab opere seruilis de se indifferenter esse, ideòque posse esse Religionis, vel gubernationis politicæ materiam. Si præcipiatur fieri in Dei cultum, scilicet in gratiarum actionem Deo ob aliquod beneficium acceptum, vel ob motuum ad illius imperatorem, est Religionis materia, & consequenter extra ciuilem potestatem. At si præcipiatur fieri in alicuius felicitis euentus recordationem, & acceptæ lætitiæ signum, vel ob alios politicos fines: tunc est materia politicæ gubernationis, quæ potest à potestate laica imperari.



## CAPVT VI.

*Circà eos, qui dies festos obseruare tenentur.*

## PROBL. XIV.

*Pueri statim ac vsum rationis aduentarint, tentantur, & non tenentur præcepto obseruandi Festa.*



**E**RTVM est, ante rationis vsum non teneri. Quia ante vsum rationis nemo legibus Ecclesiasticis obligatur, cum harum obligationum fundamentum vsum sit rationis. Quæsierim vero, num mox ac pueri vsum rationis inierint, teneantur dies festos obseruare? Non tenentur. Quia vsum rationis initium, quod septennio frequentius contingit valde imperfectum est: vnde plerumque puer vsque ad decimum annum, & puella vsque ad nonum non habent sufficientem malitiam ad lethalius delinquendum: Ergo nec sufficientem rationis vsum, ut ab Ecclesia ad dies festos obseruandos obligantur. Sic Corduba sum. q. 60. Florentin. p. 2. sum. tit. 9. c. 18. §. 2. Sotus in 4. dist. 18. quæst. 1.

87  
Non tenen-  
tur.



89  
*Hanc sententiam verissimam esse profiteor.*  
Verissimum esse profiteor, pueros, cum ad  
vsum rationis peruenierint, qui regulariter  
accidit septennio completo (ve contraria sen-  
tentia Auctores concedunt, obligari omni-  
bus Ecclesiæ legibus, quæ expressè tempus  
non determinant in præcepto ieiunii. Profe-  
cto legis obseruandæ obligatio vsum rationis  
comitatur. Si ille septenio illucescat, ea in gra-  
te lex obligabit: si aliquando ante deci-  
mum, aut vndecimum non illucescat: non te-  
nebitur eo moræ tempore pueri festa obserua-  
re. Miror autem primæ sententiæ auctores fa-  
teri, vsum rationis frequenter annum septimū  
comitari: & nihilominus non teneri ea in æta-  
te puerum festa obseruare, quod quidem ma-  
liuiose possunt iam omittere. Equidem certum  
mihi, ætatem ad peccandum aptam, quan-  
cumque illa sit, ad legum custodiam obligari.

*Pueri, qui ante septennium rationis usu  
pollent, tenentur, & non tenentur dies  
festos observare.*

91  
*Tenentur  
carni.*

Tenentur profecto. Quia omnis vtriusque  
sexus fidelis statim ac ad annos discretionis  
peruenit aliiis Ecclesiæ præceptis obligatur.  
verbi gratiâ ad annuam confessionem, ad ab-  
sinentiam à carnisu diu prohibito: Ergo  
& præcepto dies festos obseruandi. Ita Suar.  
3.p.tom.3.d.88. se.7.4. Nauar.sum.cap.11. num.  
1. Pagund. 1.2. de præc. Eccl. cap.2. num.7. alle-  
rentur, huic sententiæ debere accommodari,  
qui docent ad præceptum annuæ confes-  
sionis teneri pueros, cum incipiunt iudicium  
rationis inire, in quacunque contingat ætate,  
*Aegidi. de sacram. q.83. ar.5. num.286. Præposit.*  
*in 3.p. q.83. ar.6. num.197. Hurtad. de sacrif.*  
*Missa d.5. diffic.1. Diana sapienter notans*  
*consilium p.5. tract.13. resol.77. Trull. l.3. in*  
*Decal. cap.4. dub.2. num.11. Leand. de præc.*  
*Eccl. tr.1.d.3. q.5.*

*De puero aliquo dubitatur, nūm vſu polleat discretionis: Hic tenetur, & non tenetur, feſtos dies obſervare, ſi ſeptennis non ſit.*

Ego autem putarim, pueros, de quibus dubi-  
tatur, non rationis usu polleant, aut non, tene-  
ri Ecclesiasticum Confessionis implere præcep-  
tum: vel si hoc præceptum implere te-  
neantur, teneri etiam præcepto obseruandi  
sesta satisfacere. Quia eadem omnino est ra-  
tio obseruationis festorum, ac præcepti Con-  
fessionis: cum vtrumque præceptum sit Eccle-  
siasticum: annos discretionis requirat: Ergo vel  
ad vtrumque, vel ad nullum ex his pueri tenen-  
tur. Monuerim tamen in articulo mortis hu-  
iusmodi pueros fateri debere, vel iure diuino,  
vel vult Sanchez: vel iure charitatis erga se  
ipsum, ad euitandum damnationis periculum,  
teneri.

*Peregrini cum absentes sunt, tenentur, &  
non tenentur, festa sua patria obser-  
uare cum non observantur in  
loco, ubi adsunt.*

Tenetur profecto. Quia huiusmodi peregrini, seu viatores subditi sunt suo Episcopo: *Tenetur p-*  
ergo tenetur obedire praecepto illius circa fe- *ne.*  
storum



forum obseruationem. Et quia sunt pars communis suae cui debent conformari: minor namque pars adharet maiori. Et quia tunc obligatur, quis patrii legibus, quando patriam non deseruit: sed hi non deserunt patriam, cum non mutauerint domicilium: Ergo patrii legibus obligantur; nam quod modo ab sint à patria, nil refert; quia qui casu absunt abesse non dicuntur, ut docet Barthol. ad l. *Quaestum*. 78. §. *si a ff. de legatis*. 3. Denique quia alias si exempti essent ab omni lege: non enim ad leges patriae tenerentur, nec ad leges loci per quem transseunt ut grauissimi Doctores affirmant: Ergo omnino essent exempti: quod minimè dicendum. Sic Syluest. v. *Ieiunium*, quaest. 1. c. 1. §. 2. Rosel. ibi, num. 6. D. Antonin. p. 2. tit. 6. c. 2. §. 2. Palud. in 4. dist. 5. quaest. 4. art. 3. num. 26. Ioan. And. in addit. ad speculator. tit. de infirm. edit. num. 16. & Sanch. l. 1. de matr. d. 18. num. 17. dicit satis esse probabile.

97 Non tenentur. Quia cap. ut animarum de Non tenetur, constituit. in 6. aperte praescribitur, non incurri censuram per statum proprii Episcopi latam, ab illo, qui extra territorium sui Episcopi rem prohibitam per censuram efficit, & contra statum operatur. Ratio est, quia statum directi primo & per se respicit in eo obseruandos, idcirco non obligat personas etiam subditas, nisi intra ipsum territorium existant. Vnde pari ratione virget argumentum ad praecceptum vel statum de diebus festis obseruandis. Nam praecceptum illud primario, ac per se respicit religiosum cultum in tali Diocesi, loco, & Parochia: ergo non extra illum. Ergo non potest extra illum obligare. Ita Fagund. de prac. Eccl. l. 1. c. 7. n. 3. Sanch. l. 3. de matr. c. 18. num. 18. Suar. tom. 1. de Relig. l. 2. cap. 13. num. 1. Nat. sum. cap. 13. num. 5. Henriq. l. 7. c. 11. num. 8. Maior, Driedo, Ledesma 2. Manuel. Philarc. Abbas, Felinus, & alij apud Fagundez.

98 Hanc sententiam probabiliorē esse crediderim. Quia leges non obligant ultra ferentis intentionem: & quidem lex de festorum obseruatione non dirigitur ad subditos absolute, sed ad subditos praesentes, & existentes in tali loco: ideo eos extra illum non obligat. Quod non obstat quominus subditi sint, & dicantur, si quidem non desinit subditi esse ille, quem superior non vult obligare in re aliqua. Ieiunii exemplo planam reddo sententiam. Certum est, in Lusipponense Vrbe vigere praecceptum ieiunandi in mei D. Antonij Vigilia: at certum est, non teneri lusitanum Vallisoleto commorantem ieiunare, quia hac in Vrbe non viget talis consuetudo. Ergo idem est asserendum de festi peculiaris obseruatione: cum par sit utrobique ratio. Vnde fatur D. August. epist. 118. & refertur in c. Illa, dist. 12. in Sabato, si sum Roma, ieiuno: si Mediolani, non ieiuno.

## PROBL. XVIII.

Quando in proprio loco virget festi obseruandi praecceptum: licitum est, & non est licitum ex intentione non seruandi festum, ad alium locum, aut Parochiam diuertere, ubi tale festum non colitur, ut opera seruilia possit exercere.

Potest quis recedere à loco, in quo festum celebratur ad alium, ubi non colitur opera: quae inibi seruilia exercere. Quia praecceptum de obseruando festo non prohibet exitum à loco, in quo festi obseruandi virget obligatio: Ergo integrum est cui libet, recedere à proprio loco, in quo est festum ad alium locum, ubi non celebratur ad opera seruilia exercenda. Imò (ut fatur Lessi. l. 4. c. 2. dub. 8. num. 55.) licitum est in eodem loco recedere ab una Parochia, ubi festum colitur, ad aliam, ubi non colitur, inibi seruilia opera exercere. Lege Suar. tom. 1. de Relig. l. 2. cap. 13. num. 6. Quaeritur autem, an licitum sit, id ex intentione non seruandi festum exercere?

Minimè est licitum. Quia recessus ille in legis fraudem proculdubio geritur. Fit enim, ne ex religione festi obligetur à seruili opere abstinere. Sic Syluest. v. *Ieiunium*, q. 2. Barth. à Lessi. de matr. d. 21. Manu. tom. 2. sum. cap. 121. num. 1. Rebel. de iust. p. 2. l. 2. quaest. 7. sect. 3. num. 16. Sayr. in Clau. l. 7. cap. 7. num. 11. Salas de legib. d. 14. sect. 5. num. 63. Lessi. l. 4. cap. 2. dub. 8. num. 60. Laym. l. 1. tract. 4. cap. 11. num. 9.

Licitum quidem est. Quia in hoc casu nullo modo interuenit proprie fraus & dolus contra legem; sed solum fuga mera praeccepti: At hæc non est contra praecceptum: nam id gerens, iure suo vititur. Certè si illa fuga praeccepti esset illicita ideo esset, quia fit ex intentione seruandi praecceptum: At ex hac parte non est illicita, cum illa intentio non tendat formaliter ad non seruandum praecceptum. Vbi virget: sed ad fugiendum praecceptum transiundo se quis ad locum, ubi non virget: & ibi ubi iam illo non adstringitur, vacare seruilibus operibus. Ità Suar. citatus. Sanch. l. 3. de matr. d. 18. num. 20. Bonac. tom. 2. d. 1. de legib. quaest. 1. punct. 6. num. 64. Basil. l. 5. de matr. cap. 9. n. 4. Hurtad. de matr. dist. 5. diff. 5. num. 14. Coninch. dist. 27. dub. 1. num. 14. Fagund. l. 1. c. 7. num. 7. Diana p. 1. tr. 9. resol. 9. & tr. 10. resol. 10. Palao tr. 1. d. 1. punct. 24. §. 5. num. 4. Santius in select. d. 54. num. 20. & alij.

Hoc probabilius esse existimo. Admitto enim propriam malitiam, ac fraudem non debere fauere auctori. At hic non datur proprie ac formaliter fraus: fraus enim & dolus proprie datur, ubi datur obligatio legis, quam quis per fraudem & dolum vult euadere: hic autem nulla datur obligatio: potius enim (ut diximus) datur fuga quædam obligationis: quæ quidem fuga de se non est bona, nec mala: erit autem mala ex mali finis intentione.

PROBL.



PROBL. XIX.

*Quis è loco proprio egreditur dilectulo, ut in alio ubi festum illud non colitur, valeat feruile opus exercere: Hic tenetur & non tenetur prius quam exeat, Missam audire.*

103 *Minimè tenetur.* **M**inimè tenetur. Quia dum ille adest in loco, ubi dies festus celebratur, & sint plures Missæ dicendæ quibus valeat præcepto satisfacere, non illum urget eius obligatio ad illam primam Missam audiendam: neque præceptum obligat illum non exire. Ergo exiisse, non obligat illum, ut sacrum post audiat, si non velit. Nam exiens à loco festi iam exemptus est ab obligatione. Igitur sicut potest feruile exercere, sic poterit Missæ auditionem præterire. Sic Sanch. l. 3. de matr. d. 18. n. 21. & l. 1. sum. c. 12. n. 32. Salas de legib. d. 14. sect. 5. n. 66. Santi. in fest. d. 4. n. 29. Lessi. l. 4. c. 2. dub. 8. num. 56. Inclinat Baldel. l. 5. d. 3. n. 1. Barbo. l. 1. de iure iur. c. 20. num. 52. Bassaus v. festum. 3. n. 6. Diana part. 1. tr. 10. resol. 14.

104 *Tenetur plane.* **T**enetur plane. Quia cum quis est proprio in loco, ubi illud festum celebratur, festi præcepto astringitur: Ergo & audiendi sacrum obligatione. Ergo illam tenetur adimplere, quam primum possit, si postea non sit voluntas eam adimplendi. Nam præceptum audiendi Missam est affirmatiuum, & præcisè obligat ad vnum actum. Ergo debet adimpleri, cum potest, si postea est cessaturum. Confirmari. Quia si solum die illa vnica esset in eo loco Missa, tenetur eam audire. Ergo eadem obligatione astringitur, etiam si multæ aliæ in eo loco celebrandæ essent: nam exiit ex obligationis loco sine voluntate audiendi in alio loco ad quem pergit sacrum, idem est plures proprio in loco esse Missas, quam vnicam. Ita Nauar. c. 13. sum. n. 5. Ludou. Lopez p. 1. instruct. c. 5. §. 2. Nec peccant. Manu. tom. 2. sum. c. 12. n. 1. Sayr. in Clau. l. 7. c. 3. n. 12. Sa v. festum. n. 9. Suar. tom. 1. de Rel. l. 1. cap. 1. n. 7. Fagund. l. 1. de præc. Eccl. cap. 7. n. 13. & 18. Trill. l. 3. Decal. c. 1. dub. 3. n. 4. Basil. l. 5. de matr. cap. 7. §. 2. num. 14. & cap. 8. num. 6. Leand. tr. 1. de præc. Eccl. d. 3. quest. 9.

105 *Idem assero.* **I**dem assero. Idem asseruimus casu, quo qui exiturus est à loco, in quo dies festus celebratur, possit commode, hora scilicet matutina Sacrum audire prius quam in alium locum se conferat. Non enim tenetur vsque ad meridiem, ut interit Missæ expectare.

PROBL. XX.

*Peregrini scholastici, Doctores, Praefecti, Milites &c. tenentur, & non tenentur ob seruare diem festum proprium loci, in quem animo non persistendi etiam diu commorantur.*

106 *Non tenentur.* **N**on tenentur. Quia aduenæ, qui aliquo in loco morantur, absque animo inuendi domicilium non subiiciuntur speciali illius loci iuri, cum nec sint nec esse intendunt illius pars communitatis: Ergo quantumvis diu inibi morantur, non tenentur ad specialia illius loci solemnia obseruanda. Sic Speculator, Turrecr. Escob. & Mend. Theol. Moral. Tom. IV.

Palaci. Palud. Ledes. 2. Roset. Syluest. Medi. Angl. Margarita Confes. quos refert Sanch. l. 3. de matr. d. 18. n. 9. Palqualig. de iell. decis. 201. 202. & 203. edocens ex Baldo, ac Bartolo, nec per mille annos contrahi domicilium ab eo, qui alicubi habitat cum animo recedendi.

Tenentur omnino. Quia licet non acquirant domicilium dum in illo loco manent animo non permanendi, (ut scholastici assolent in Academicis adesse) acquirunt tamen forum, & quasi domicilium. Vnde sufficit, ut aliquis teneatur legibus & consuetudinibus loci, quod maiori parte anni ibi sit habiturus: hoc enim sufficiens est ad constituendum quasi domicilium. Ita Sanch. l. 3. de matr. d. 18. num. 9. Syluest. v. Domicil. num. 2. Fagund. de præc. Eccl. l. 1. cap. 7. num. 7. D. Antonin. p. 1. tit. 6. cap. 2. §. 1. Suar. tom. 1. de Rel. l. 1. cap. 14. num. 4. & Medina l. 1. q. 96. a. 5. & alij.

Certe prima sententia nulla probabili ratione defendi potest, & ideo esto in speculatione probabilis sit, in praxi est omnino improbabilis, sicque eam Suarius appellat. Nec sufficit Auctorum multitudo, qua se tueretur, quia sine solido fundamento loquuntur in re, quæ nimium potest rectis Christianorum moribus nocere. Quis enim audebit asserere, scholasticos salmanticenses aut Vallisoletanos, qui per magnam anni partem in hisce Urbibus commorantur, non teneri ad speciale illarum præceptum de festis obseruandis, aut ieiunio inuendo. Profecto (ut ait Fasundez) est id contra communem sensum, ac contra bonos mores. Caterum licet in ordine ad alios effectus, & quoad Sacramenta, ut peregrini, scholastici, aulici, mercatores, mechanici, ac operarij obligentur ad speciales leges loci, in quo sunt, & illius loci parochiani dicantur ibique quasi domicilium acquirant: sufficit, ut ibi maiori anni parte habitent, ut probat secunda sententia: tamen in ordine ad obseruationis diei festi obligationem minimè admiserim; quia etiam pro minori tempore prudenter talis obligatio expostulatur. Nam inter illos duos modos relatos in prima & secunda sententia domicilij, quasi domicilij potest esse magna latitudo existendi in aliquo loco. Vnde distinguo alios duos modos. Vnus est, quando quis peruenit ad aliquem locum, ut illic per aliquor dies moretur, recreationis, aut negotiationis gratia, ut tres quatuor, vel quinque dies. Alius est quando præsentia in tali loco solum est in transitu tanquam in hospitio viæ, prandendo, vel pernoctando, & statim discedendo. Quando præsentia est prioris modi, existimo cum Suario, & Fagundez, sufficere id ut quis ad festi obseruationem teneatur. Et Episcopi punire assolent huiusmodi hospites, festa, vel ieiunia loci non seruantes: quod necessarium est ne incolæ, prauo hospitum exemplo affecti præcepta violent. Quando autem præsentia est secundi modi, non tenentur aduenæ, ac peregrini, seu viatores ad diei festi, vel ieiunij obseruationem. Quia huiusmodi mora est adeo brevis, ut nullo modo, nec etiam ratione loci possint dici Episcopi illius Diœcesis subditi: nec ratione consuetudinis loci eiusdem obligantur; nam consuetudo non habet vim obligandi, nisi quatenus habet vim legis: & lex non potest obligare non subditos. Problem. 22. sermo redibit.

S PROBL.



## PROBL. XXI.

*Religiosi exempti tenentur, & non tenentur, obseruare festa non ex Episcopi præcepto, sed ex consuetudine inducta.*

109  
Certum sup-  
pono.

Certum est teneri ad festorum, quæ indixit Episcopus, obseruationem. Quia Tridentinum *sess. 2. c. 12.* præcipit Religiosos ad id teneri, seruatis tamen ritibus, quoad Missas, & officia celebranda, qui à Regularibus his assolent obseruari. Legendus Barbosa *de potest. Episc. allegat. 105.* Quæsierim verò nūm etiam teneantur obseruare festa, quæ non sit ex Episcopi præcepto indicta, sed inducta ex consuetudine.

110  
Nō tenentur.

Non tenentur. Quia Concilium loquitur de festis, quæ seruari ab Episcopis præcipiuntur, nō de iis, quæ sunt ex consuetudine inducta: ea enim non sunt propriè ab Episcopo præcepta. Cum verò Concilij decretum sit contrà Regularium exemptionem, strictè est tanquam odiosum, accipiendum, iuxta regulam *odia sunt restringenda, de reg. iuris in 6.* Sic Pasqualig. *tr. de ieiun. decis. 189. n. 8.* asserens, hanc sententiam posse defendi.

111  
Tenentur omnino.

Tenentur omnino. Quia ad festa, quæ ex consuetudine obligant interuenit præceptum, aut consensus Episcopi. Ergo Religiosi ad eorum tenentur obseruationem. Ità Leander. *de præc. Eccl. tr. 1. d. 3. q. 16.* Pasqualig. *citatus. Sanch. l. 5. consil. c. 1. dub. 3. n. 2.*

112  
Auctoris resolutione.

Profectò si Religiosi exempti tenentur obseruare festa indicta ab Episcopo, vt ex Concilij decreto constat: liquet, teneri etiam ad festa obseruanda, quæ fuerint ex consuetudine inducta. Nam ideo obligant festa ex consuetudine, quia aut præceptum, aut saltem consensus Episcopi interuenit.

## PROBL. XXII.

*Viatores tenentur, & non tenentur, obseruare festa propria locorum, ad quæ solum perueniunt, vt ibi per tres, quatuor, vel quinque dies recreationis, vel negotiationis gratia commorentur.*

113  
Non tenentur.

Non tenentur. Quia tam exigui temporis mora non sufficit, vt censeatur proportionata ad indicendam huiusmodi obligationem, quæ propriè ciuium, seu incolarum est. Ergo non tenentur loci festa obseruare. Sic Palud. *in 4. dist. 15. q. 4. a. 3. n. 24.* Palac. *d. 8. post 6. concl. Syluest. v. Ieiunium. qu. 7. Tolet. l. 6. c. 5. n. 3. Manu. to. 1. qq. Regul. q. 68. a. 4. Azor. p. 1. l. 7. c. 19. q. 4. Auila de censur. p. 2. c. 3. d. 2. dub. 3. concl. 3. Sanch. l. 2. de matr. d. 18. n. 6. Laym. l. 1. tr. 4. c. 12. n. 4. Coninch. 3. q. 7. a. 4. dub. 2. Bonac. de legib. d. 1. q. 1. pun. 6. n. 36. Gordon. l. 6. q. 18. c. 7. & alij plures.*

114  
Tenentur planè.

Tenentur planè. Quia viatores, seu aduenæ illi ad seruandas leges locales proculdubio obligantur: Ergo si morantur in hisce locis tempore proportionato ad seruandum præceptum, nulla ex causa excusari possunt. At qui per tres, quatuor, vel quinque dies in aliquo loco morantur, adsunt tempore proportionato pro ser-

uando festo: nulla enim alia proportio exigitur, nisi festum occurrere eo tempore quo inibi morantur: Ergo festum obseruare tenentur. Ita Suar. quæ citat, ac sequitur Fagundez *præc. Eccl. l. 1. c. 8. n. 14. & 11.* cuius sententiam Proble. 20. latius expressi, Trull. l. 3. Decal. c. 1. dub. 6. n. 1. Filliuc. *tr. 27. par. 1. c. 6. n. 106.* Lessi. l. 4. c. 1. dub. 7. n. 50. & 51. Graf. l. 2. decis. c. 16. n. 30. Salas d. 14. de legib. *sess. 4. n. 41.* Malder. l. 2. q. 96. a. 5. & de peregrinis. Valq. 3. pto. 3. d. 184. c. 3. n. 28. Basil. l. 5. de matr. c. 7. §. 1. n. 6. Palao *tr. 3. d. 1. pu. 24. n. 11.* Henric. l. 7. c. 1. n. 8. Leand. *de præc. Eccl. tr. d. 3. quæst. 21.* & alij quam plures.

Cum his sentiens, putarim sufficere præsentiam trium, quatuor, aut quinque dierum, vt quis ad festi obseruationem teneatur. Equidem plures è contraria sententia asserunt teneri huiusmodi aduenas festum loci obseruare, casu, quo non possent Missæ auditionem omittere, aut seruilius laborare sine scandalo. Quod raro poterunt aduenæ tam exigui temporis habitatores gerere sine scandali periculo quantumvis secretum curent ad seruilem laborem agendum inire. Vnde ferè nunquam doctrina illa poterit ad proximam adduci.

## PROBL. XXIII.

*Aduenæ tenentur, & non tenentur festa obseruare propria locorum etiam si per unicum diem ibi commorentur.*

Minimè tenentur. Quia qui breui tēpore loco in aliquo moratur non dicitur morari. Minime utraliter in eo esse, l. *Quis sum 76. §. finis de legat. 3. & l. si ita, 84. ff. de legat. Sic Granad. l. 2. contr. 7. tr. 1. p. 1. d. 6. *sess. 4. n. 25.* Bossi. *de iubil. c. 18. n. 49.* Santius *in *sess. d. 5. q. 1. Hurtad. d. 5. de Sacr. f. Mis. diffic. 1.* & omnes Doctores, pro prima sententia Problem. 22. relati asserunt non teneri, dummodo scandalum excludatur.**

Tenentur omnino. Quia hæc est cōsecratio hic vsus, hoc ius. Ità grauissimi Doctores Basil. l. 5. de matr. c. 7. §. 1. n. 6. & §. 2. n. 14. Palao *tr. 3. d. 1. pu. 24. §. 3. n. 11.* Salas *de legib. d. 14. *sess. 4. n. 41.* Henric. l. 7. c. 1. n. 8.* Ioan. de la Cruz *præc. 3. a. 4. dub. 9. concl. 1.* Filliuc. *tr. 17. n. 120 & 123.* Lessi. l. 4. c. 2. dub. 7. n. 50. & 51. Trull. l. 3. decal. c. 1. dub. 3. n. 5. Valq. *to. 1. in 3. p. d. 184. c. 3. n. 28.* Naugar. *sum. 13. num. 5 & cap. 15. num. 120.*

Hanc eligo sententiam probabiliorem quidè Hunc enim vsus esse reor. Nec refert, quod aduenæ ille habeat animum diutius manendi, vel proximo die recedendi, aut sursus, vel neutrum. Nam si illo die, quo inibi adest, festum proprium illius loci occurrat, proculdubio tenebitur id obseruare. Sa audiendus v. *Ieiunium n. 1.* Ad festa loci teneri, qui illic eo die manet. Et Villalob. p. 1. *sum. tr. 2. diffic. 33. n. 7.* nostram sententiam multo probabiliorem vocitat.

## PROBL. XXIV.

*Aduenæ tenentur, & non tenentur seruare festa propria loci per quem transiunt, ibi solum pransuri, aut pernoctaturi, & die discessuri crastino.*

Tenentur planè, si tempore illo exiguo quo in eo moram gerunt occurrat tem-



pus obligationis adimplendi id præceptum & commodè possunt obseruare. Vnde si dies festus specialis illius loci occurrat, tenentur sacrum audire, priusquam egrediantur, casu quod in illo oppido dormierint, vel magna parte mane illius ibi detineantur. Nec possunt feruili labori dare operam. Quia commodè possunt huiusmodi præceptum locale implere: Ergo cum alias illo illigetur, sicut aduenæ diu in eo morantes illud tenentur adimplere. Id confirmo: Peregrini seu viatores transientes etiam solum per modum hospitij, gaudent privilegijs, gratijs, ac consuetudinibus fauorabilibus, quibus fruuntur incolæ, oppidorum, per quæ transeunt: v. g. viatores transeuntes per loca, ubi carnes de more comeduntur, possunt eis vesci quamuis eo tempore in loco patrio carniem esus esset interdictus: Ergo etiam tenentur seruare alia præcepta specialia, quæ in oppidis, per quæ transeunt, incolas illigant. Nam qui commodum experitur, debet etiam incommodo subiacere. iuxta regul. iur. in c. 6. Qui sentit. Sic Svar. tom. 1. de Relig. l. 2. cap. 14. Salas de l. gib. tr. 1. 4. sect. 4. num. 49. Basil. l. 5. de matrim. c. 1. §. 1. n. 14. Palaus tom. 1. d. 1. tr. 3. pun. 24. n. 1. & 12. Villalob. tom. 1. sum. tr. 2. diff. 33. n. 7. Filliuc. tr. 27. num. 120. Sa. v. Auditorio Missæ num. 6. Leand. de præc. Eccl. tr. 1. d. 3. q. 23. & alij.

120 Nullatenus tenentur. Minime tenentur. Quia aduenæ, qui tam exiguo commorantur tempore illo in oppido, legibus specialibus illius non alligantur. In eo enim sic morantur, ac si in ipsa via parumper reficiendi, detinerentur. Vnde in oppido existunt, ac si minime existerent. Ita Fagund. præc. 1. Eccl. l. 1. c. 8. n. 1. Trull. l. 3. Decal. c. 1. d. 3. n. 206. Lessi. l. 4. c. 2. dub. 7. n. 50. & 51. Henric. l. 9. c. 25. num. 2. & omnes Doctores primæ sententiæ Problem. 13. citati.

121 Eiusdem sum mus. Equidem quando præsentia aduenæ est in transitu, aut per modum hospitij, prandendo, canando, vel pernoctando, & statim discernendo, nullatenus ad diei festi specialis illius loci tenentur; quia illi nullo ex capite ad illius oppidi communitatem videntur pertinere.

## PROBL. XXV.


*Duplicis Paræcie incola tenetur, & non tenetur obseruare festa illius Paræcie in qua perbreui tempore, veluti in hospitio reperitur.*

122 Tenetur plane. Quando in eam Parochiam non ad habitandum, sed ad breue tempus velut hospes aduenat, non tenetur eius festa specialia obseruare. Quia eodem modo indicandum est, quando ita Paræcijs diuersis sunt diuersæ consuetudines, ac quando in diuersis vigent hæ territorijs. Sic Sanchez l. 1. sum. c. 1. n. 40. Et Doctores pro prima sententia Probl. 14. citati. Loquitur Santius non de eo, qui iter agens commoratur meride ad prandendum, seu nocte ad cubandum: sed de illo, qui saltem vna die integra inibi detinetur qua accidit speciale Paræciæ illius festum celebrari.

123 Tenetur quidem. Tenetur equidem festum illud obseruare. Quia quemadmodum hospes tenetur obsequiare leges oppidorum, per quæ obiter transit die scilicet. & Mend. Theol. Moral. Tom. IV.

integra, in qua festum accidit, detinetur, si commodè possit: ita hospes Parochianus. Ita Filliuc. tr. 27. num. 122. Trull. l. 3. Decal. c. 1. dub. 3. num. 8. Leand. de præc. Eccl. tr. 1. d. 3. q. 27.

Consequenter ad ea, quæ Probl. 12. expressimus, dicendum, primam sententiam admodum probabilem, adhuc autem probabiliorem esse secundum. Pro qua Trullench. P. Sanctum citat, sed immerito, cum expressè primam tueatur. Idem autem quod de viatoribus sue peregrinis, ac hospitijs asserui, asserum duodevigis, seu iis, qui nullibi habent domicilium. Quia illud debent fortiri quoad omnia vbicumque reperiuntur, alioqui exempti essent ab omnibus legibus, statutis & consuetudinibus localibus, & Episcoporum, quod videtur absurdum. Sanch. l. 3. de matr. d. 8. n. 35. & l. 1. Decal. c. 14. n. 23. Nec placet Pasqualig. contrarium defendens de ieiun. dec. 200. alios referens. De quo vberius volum. 4. differimus.



## CAPVT VII.

*Circa opera in die festo prohibita.*

### PROBL. XXVI.

*Mortale est, & non est mortale, vna hora seruile opus in die festo sine necessitate exercere.*

125 Mortale est vna hora operi incumbere. REMITTENDVM, qualis transgressio ex parte materie culpam lethalem in hoc præcepto constituat. An igitur mortale sit vna hora feruili operi sine necessitate incumbere? Est mortale. Quia licet vnus horæ labor cõparatione totius diei lenis videatur esse materia: at secundum se grauis est: sicut grauis est omisso vnus horæ ex minimis in officio Canonico, tamen cõparatione totius officij lenis poterat iudicari. Sic Azor. 10. 2. l. 1. c. 28. q. 5. Bonac. d. 5. de 3. præc. Dec. q. vni. pun. 3. n. 2. & Fagund. de præc. Eccl. l. 1. c. 14. n. 2. si excedat ex hora quadratam.

126 Non est mortale, nisi tertia pars diei consumatur. Mortale non estimò tertia pars diei festi in opere feruili consumenda, vt grauis materia censetur. Quia respectu viginti quatuor horarum naturalis diei illa temporis portio gravis solummodo est iudicanda. Ita nonnulli Doctores iuris Canonici, quos presso nomine memorat Fagund. citatus, & Cast. Pal. 10. 2. tr. 9. d. 2. pun. 1. n. 3.

127 Mediam tenent vna sententiam secundam improbabilem. Ego quidem hunc modum dicendi improbabilem omnino esse existimo, quem meritò omnes Theologi explodunt, vt potè qui viam sternit temnendi festorum obseruationem. Primam vero sententiam nimium rigidam esse iudicamus. Quare media mihi via incidendum æstimenti, hoc prudentis relinquendum arbitrio. Vna enim hora non videtur ita grauis materia, præcipue si opus assumptum nimis laborosum non sit. Existimarim itaque, si duabus horis labori quis feruili incumbere, materiam grauem esse, & peccatum lethale committi. Nec video Doctorem grauem classicum, qui latius tempus concedat. Porro in operibus forensibus ac iudicialibus, quæ sunt speciali iure prohibita, materia grauis censetur. Sumenda est, non ex quantitate temporis insumpti, sed

128 Paruitatem materia in forensi opere expenso.



sed ex operis qualitate. Quia si res vendita esset magni momenti, & venditio solemnitate aliqua celebraretur: etiam si breui tempore fieret, esset lethale. Quod à fortiori militat in quolibet actu iudicii. Quia negari non potest, habere de se grauem deformitatem, quod iudex actum irritum, ac nullum efficiat. Ast si venditio minoris esset momenti, ut vendere caleos, & alia eiusmodi, iam consuetudo obtinuit non esse graue peccatum, & sæpe nullum ob venditum, ac ementium necessitatem. Nec enim iustum erat, ut vendentes denegarent merces agricolis, & aliis die feriato concurrentibus. Quia ex tali denegatione graue incommodum paterentur. Mecum Nauar. l. 2. de feriis, conf. i. Suar. 10. 1. de Relig. l. 1. c. 31. n. 2. Sanch. l. 1. sum. c. 4. n. 18. Pala. ubi supra n. 4. & 5.

## PROBL. XXVII.

*Opera communia liberis, & seruis, ut sunt venari, ac piscari, quæ quidem sunt licita liberis, sunt, & non sunt licita, si à seruis gerantur.*

<sup>119</sup> **R**ecolo ex fest. 1. ea opera prohiberi, quæ propria sunt seruorum, non alia. Quia Doctores cuncti declarantes, quidnam sit opus seruile in festo prohibitum, asserunt, illud propriè esse, quod ex se habet quandam famulatum, & ab illis solū communiter exercetur, qui aliis inserviunt. D. Tho. 1. 2. q. 12. 2. a. 4. quæ omnes sequuntur. Quæserim igitur, nū prohibeatur in festo opera, quæ sunt communia liberis ac seruis, nempe venari, ac piscari?

<sup>130</sup> Si fiant à liberis, licite possunt exerceri: secus si à seruis gerantur. Quia à liberis possunt geri recreationis gratia, à seruis autem præ se ferunt illud prohibitum famulatum. Sic nonnulli Doctores, quorum sententiam iam docent esse probabilem. Filliuc. tom. 2. tract. 27. nu. 160. Machado l. 2. sum. pun. 3. tract. 15. docum. 5. n. 5.

<sup>131</sup> Non prohibentur ea opera communia etiā si à seruis gerantur. Quia in festis sola opera seruilia sunt prohibita: sed quæ communia sunt liberis, ac seruis seruilia non sunt. Ergo licite possunt à seruis exerceri. Ita Caiet. 2. 2. q. 12. 2. a. 4. Bonac. 10. 2. d. 5. q. vii. pun. 2. n. 24. Sanch. l. 5. confil. c. 2. dub. 6. n. 10. Palaus 10. 2. tr. 9. d. 2. pun. 5. n. 1. Pedraza præc. 3. fol. mihi 27. Filliuc. & Machado citati.

<sup>132</sup> Hoc longè probabilius esse iudico. Quia si opus ex se libero seruile non est nec seruo. erit: materiale enim est, quod à seruo exerceatur. Equidem nullatenus dari opera media crediderim: sed necessario debere esse aut libera, aut seruilia: nam sicut inter hominem liberum & seruum medium non datur, sic nec inter communia opera.

## PROBL. XXVIII.

*Licetum est, & non est licitum, die festo studiis incumbere, quæ sacra vel spiritualia non sunt.*

<sup>133</sup> **N**on est licitum studium, quod in materia spirituali non sit. Quia die festo vacatio ad Deū indicitur. Ergo quicquid ad huiusmodi

vacationem non spectat, illicitum est. Sic Anton. de Butr. ad c. 1. de feriis. Angel. v. Feria. n. 29. Syluest. v. Dominica. q. 5. Imo Abul. Exo. 12. absolute asserit nō carere culpa eum qui tota die festa studet Theologiæ & causa pietatis. Quia vacatio ad Deū cuilibet studio debet præferri.

<sup>134</sup> Licitum est studere die festo tota die, non solum Theologiæ, verum etiam aliis scientiis, ut Licitum est. Philosophiæ, Mathematicæ, & similibus, quæcunque id intentione fiat, dummodo Missæ auditio nō omittatur. Quis studere nō est opus seruile, sed liberale quod quidem non est die festo prohibitum. Ita D. Tho. 1. 2. q. 12. 2. a. 4. Abbas Anchar. Andr. Barbat. quos refert, ac sequitur Suar. 10. 2. de Relig. l. 2. c. 2. 2. a. n. 1. Bonac. 10. 2. d. 5. q. vii. p. 2. n. 7. Pala. 10. 2. tr. 9. d. 1. pu. 6. n. 2. Balæus v. Festum 2. r. 7. Fagund. de præc. Eccl. l. 1. c. 1. n. 2. Trull. l. 1. Decal. c. 1. dub. 8. num. 4. Leand. de præc. l. ccl. tr. 1. d. 3. q. 5. Graff. p. 1. 2. eccl. d. c. 33. n. 16. & p. 2. l. 2. c. 13. num. 8. & 23.

<sup>135</sup> Certè studere opus est animæ quod minime in die festo prohibetur, imò forte (ut annotat De hoc non benè Fagundez) inexpressa operum seruiliū prohibitionē huiusmodi opus animæ & alia commendantur, si non formaliter, saltem modo aliquo. In præcepto de obseruatione imperatur Missæ auditio. Quis autem dubitet & Missæ auditionem opus animæ esse? Igitur Ecclesia diebus festis imperat, nos à seruilibus operibus corporis abstinere: At studere non est seruile opus, nec corporis ministerium. Ergo minime prohibetur.

## PROBL. XXIX.

*Docere alios lucri causa licet, & non licet in die festo.*

<sup>136</sup> **M**inime licet. Quia huiusmodi actū exercere propter lucrum se redolet seruitem, finis enim seruilis est. Sic Abul. ad c. 12. Exo. q. 16. Syluest. v. Dominica. q. 5. Mortale autem non erit peccatum, sed solum veniale eo quod non viadetur grauis esse irreuerentia.

<sup>137</sup> Licet omnino, in die festo alios lucri gratia docere quæcumque scientiam & artem. Quia est opus liberale, quod in die festo minime prohibet. Ita Suar. 10. 2. de Relig. l. 2. c. 12. n. 6. Fagund. l. 1. de præc. Eccl. c. 11. n. 2. Palaus 10. 2. tr. 9. d. 2. pu. 5. n. 3. Trull. l. 3. Decal. c. 1. dub. 8. n. 4. Nauar. sum. c. 13. l. 12. Caiet. 2. 2. quæst. 12. 2. art. 4. Sanch. l. 5. Confil. c. 2. dub. 6. n. 4. & 11.

<sup>138</sup> Equidem si actus ex se liberales sint, quod fiant ob lucrum non extrahit eas à sua agnata conditione. Vnde tanquam certum asseruerim, docendi alios lucri causa minime in die festo prohiberi.

## PROBL. XXX.

*Licitum est, & non est licitum, in die festo cantare, pulsare instrumenta musica, vel consilium dare propter lucrum.*

<sup>139</sup> **O**mnia hæc ex conuersione lucri accipiendi sunt illicita. Quia principaliter ea propter lucrum exercere seruilia reddit opera, quæ ex se liberales inter annumerantur. Sic Abul. ad c. 12. Exo.



## Secl. II. De Precepto III. Problemata. 209

*Exod. q. 26. Angel. v. Feria. n. 29. Syluest. autem v. Dominica, quest. 5. asserit peccare mortaliter Doctorem, qui dat consilium etiam illi, qui è longinquo venit, principaliter ob questum. Cuius sententiam esse communem ait Nauar. citandus. Et illam docent Moditius in §. Prudentium responsa, dub. 9. num. 2. At Angel. solum id concedit Doctori, qui vt expedit illum, qui è longinquo venit consilium impertit.*

<sup>140</sup>  
*Licita sunt.* Omnia hæc conuentione lucri accipiendi facta, licita sunt. Quia non sunt opera seruilia, nec talia ex fine questus efficiuntur. Ita Nauar. *sum. c. 13. num. 14. Grassi. p. 1. decis. l. 2. cap. 33. num. 12. Pedraza sum. prac. 3. fol. 27. Idem de consilio asserit Nauar. cap. 23. num. 12. Bonac. tom. 2. d. 5. quest. vni. pun. 2. num. 8. Palaus tom. 2. r. 9. d. 1. pun. 5. num. 2. Trull. l. 3. Decal. cap. 1. dub. 8. num. 4. Pasqualig. decis. 138. num. 1. Fagund. prac. cel. l. 1. c. 11. n. 2. & alij.*

<sup>141</sup>  
*Hæc ferè cer-*  
*tum esse reor.* Hæc ferè certum esse reor, & ideo vlti receptum, vt contraria sententia iam ab omnibus nullius ponderis esse videatur. Forte olim communis sententia fuisset, dare consilium principaliter ob questum esse mortale, iam defecit vetusta illa opinio, & communis sententia est nullum peccatum esse, nisi aliqui diei festo accidentaliter irreuerentia aliunde inferatur.

### PROBL. XXXI.

*Licet, & non licet in die festo scribere, sine lucri fine.*

<sup>142</sup>  
*Non licet.* Non licet die festo multis horis scribere, etiam absque spe lucri. Quia corpus nimium defatigatur: unde opus ex se liberale seruire procubdubio efficitur. Sic Guillem. quem citat, ac sequitur Abul. *ad c. 12. Exod. q. 37.*

<sup>143</sup>  
*Licet plane.* Licet omnino. Quia scribere absque spe lucri, opus est liberale. Ergo cum alias non sit ex quinque aliis prohibitis, licite potest in die festo exerceri. Ita D. Thom. 2. 2. q. 122. a. 4. vbi expresse docet docere tam verbo, quam scripto esse opus spirituale. *Suar. tom. 2. de Relig. l. 2. c. 24. num. 1. asserens in hoc omnes Doctores conuenire. Sanch. consil. l. 5. c. 2. dub. 8. n. 1. citans Nauarum, Ludon. Lopez, Sotum, Modinam, Syluestrum, & Caietanum Laym. tom. 2. l. 4. r. 7. c. 2. n. 3.*

<sup>144</sup>  
*Certum hoc esse existimari.* Certum hoc esse existimari. Nec enim actus scribendi ex se liberalis, seruile efficitur propter corporis defatigationem: hæc enim accidentaliter est omnino. An toto die festo vocaliter orare nimia corpus defatigatione afficeret? Quis dubitet? Attamen nullus audebit asserere opus illud ex nimia corporis defatigatione seruile effici.

### PROBL. XXXII.

*Scribere propter lucrum, est, & non est opus prohibitum in die festo.*

<sup>145</sup>  
*Prohibitum est.* Prohibitum opus est, mercedis gratia scribere. Quia scribere est quoddam genus, cuius *Esob. & Mend. Theol. Moral. Tom. IV*

ius sunt due species: vna operis liberalis, altera se uilis. Liberale opus est, si quis scribat, vt memoriam extollat, augeat, & conseruet: aut vt amicum, aut aliquem quem libet, absentem moneat, horreant, saluet; seruile erit, si faciat ob lucrum. Sic Angel. Richard. Sotus, Rosel. Tabien. Syluest. quos refert, & sequitur Azor. *p. 2. l. 1. cap. 27. q. 4. & omnes Summistæ communiter.*

Non est opus prohibitum, licet ob lucrum fiat. Quia seruile non est. Nam scriptura est quadam permanens locutio de se, & natura sua ordinata ad declarandos proprios conceptus. Ergo est de se actio deseruiens animæ, & non corpori. Igitur seruile non est. Ita Caiet. 2. 2. q. 122. a. 3. & in *sum. v. Iestorum violatio. Tolet. l. 4. c. 24. n. 3. Azor. tom. 2. l. 1. c. 18. q. 1. Suar. tom. 2. de Relig. l. 2. c. 19. n. 6. Nauar. sum. c. 13. n. 5. Palaus fo. 2. r. 9. d. 2. pun. 5. n. 3. Fagund. in de prac. Eccl. c. 10. n. 3. & c. 11. n. 5. & alij apud ipsos.*

Idem assero. Nam quod opus ex se liberale si ob mercedem fiat, non reddatur seruile, inde ostendo; quia operantis intentio non variat opus, sed omnino illud immutatum relinquit: illi enim est extrinseca. Ergo si scribere, opus est liberale, ex intentione lucri acquirendi seruile non efficitur. Erit, fateor, opus mercenarium non gratiosum: quia esse gratiosum, vel mercenarium ex intentione pendet. At non pendet ex intentione operantis esse seruile, vel liberale. Igitur ob lucri intentionem liberale opus seruile non redditur.

### PROBL. XXXIII.

*Prohibitum est, & non est prohibitum in die festo transcribere ob questum.*

<sup>148</sup>  
*Prohibitum est.* Prohibitum opus est. Quia seruile omnino. Transcriptio enim nihil aliud est, quam expressio literarum, quæ in originali habentur: quod videtur esse mechanicum & omnino deseruiens corpori, non animo. Certè transcribere nihil aliud est quam pingere aut delineare aliorum characteres: Sed pingere, est opus seruile: Ergo & transcribere. *Nauar. sum. c. 13. num. 14. Caiet. 2. 2. quest. 122. a. 4. asserentes transcribere, seruile opus esse, quando fit ob lucrum. D. Antonin. p. 2. tit. 9. c. 7. §. Quantum. Fernand. part. 1. Exam. Theol. cap. 7. §. 1. num. 10. Vega tom. 1. sum. cap. 114. casu 3. Comitol. l. 4. Respons. quest. 58. num. 3. Azor. p. 2. lib. 2. cap. 27. quest. 5. Reginal. l. 19. num. 40. Sanch. ex parte tom. 2. opus l. 5. cap. 2. dub. 9. num. 4. Ioan. Henriquez in sum. cap. 7. num. 21. Pasqualig. autem decis. 140. citat etiam Toletum l. 4. c. 24. n. 11. immerito quidem, quia nec ibi nec alibi de hac agit questio.*

Non est opus prohibitum. Quia transcribere nihil aliud est, quam declarare, ac permanenter loqui alterius conceptus. Ergo opus est liberale. Item transcribere, nihil aliud est, quam scribere, quod ipse, vel alius permanenter locutus est: Ergo si scribere opus liberale est, etiam transcribere debet esse. Certè transcribere per se ordinatur ad illustrandum intellectum, & percipiendum alienos conceptus: Ergo non corpori, sed animo



# 210 Theologiae Moralis Lib. XXX.

per se deseruit. Finis autem lucris non reddit  
seruile id opus, quod natura sua est liberale.  
Ita Ludou. Lopez p. 1. *instruct. c. 32.* Sayr. *in*  
*Clau. l. 7. c. 2. num. 13.* Fagund. *de prac. Eccl.*  
*l. 1. num. 3. & 4.* Medina *l. 2. instrum. cap. 14.*  
*§. 8.* Bonac. *de 3. Decal. prac. d. 5. q. vni. num. 2.*  
*§. 25.* Suar. *tom. 1. de Relig. l. 2. c. 25. n. 4.*

<sup>150</sup> Cum his opinor. Nam transcribere quid  
aliud est, quam scribere quod alius, vel ipse  
transcriptor permanenter locutus est. Ergo  
si scribere opus est liberale, etiam transcribere  
debet esse. Hoc secunda huius sententiae fun-  
damentum roboro. Quia qui scribit dictante  
alio, exprimit illius conceptus: qui vero tran-  
scribit eius dicta idem fecit: & sola est diffe-  
rentia, quod scribens exprimit conceptus alie-  
nos, quos auribus percipit: transcribens ex-  
primit conceptus, quos percipit oculis: perci-  
pere autem oculis vel auribus accidentarium  
est: nec potest opus liberale seruile reddere.  
Ceterum argumentum quo Azorius miscitur  
nullius esse roboris crediderim; nam ut saepe  
inculcaui, finis quatuor opus, quod ex se libe-  
rum est non potest in seruile mutare.

## PROBL. XXXIV.

*Licet, & non licet, in die festo rationem  
facere: vulgariter Dar y tomar  
cuentas, siue fiat ex officio, aut  
ad luctum, siue non.*

<sup>151</sup> Etiam si fiat nec ex officio, nec pro merce-  
cede, non licet. Quia opus est non solum  
menti, sed & corpori admodum laboriosum.  
Sic Syluest. *v. Dominica, quest. 3.* Angel. *v.*  
*Feria, num. 31.* Tabie. *ibi, num. 26.* Abul. *ad*  
*cap. 12. exod. quest. 26.* D. Antonin. *p. 2. tit. 9.*  
*cap. 7. §. ult.* Margar. *Confess. prac. 3. fol. 7.*  
*Medi. l. 1. sum. cap. 16. §. 9. & alij.* A fortiori  
erit opus illicitum si pro mercede, aut ex offi-  
cio fiat. Quia eo pacto opus id seruile reddi-  
tur. Sic Sanch. *tom. 2. Confil. l. 5. c. 2. dub. 10. n. 3.*

Si fiat non ex officio, nec ex mercede licet.  
<sup>152</sup> Quia descriptio dati, & accepti, & transcrip-  
tio de vno in alium librum, in quo actio red-  
dendi rationem rei datae & acceptae, aut reddi-  
tuum sistit: non est opus seruile, sed omnino  
liberale: Ergo licitum in festo. Ita Pasqualig.  
*decis. 150.* Leand. *de prac. Eccl. tr. 1. d. 4. q. 16.*  
Sanch. *tom. 2. Opusc. l. 5. cap. 2. dub. 11. n. 2.*  
asserens ita sentire doctos Recentiores adden-  
tes id praticari sine scrupulo inter Religiosos  
timorosos. Porro etiam si id ex officio, & pro  
mercede geratur, licitum est. Quia si ratio-  
nem facere ut sic ex se est opus liberale, ac pro-  
inde licitum in festo: etiam tale erit, quamuis  
fiat ex officio, aut pro mercede: hoc enim  
non variat actus, vel operis rationem. Ita Pa-  
schal. *citatus.* Leand. *vbi s.*

Longè probabiliorem hanc sententiam exi-  
mo. Quia si nec ex officio, aut ex mercede  
fiat huiusmodi danda aut reddenda rationis  
actio ex communiori sententia est liberalis:  
fieri vero ex officio, aut ob mercedem essen-  
tia operis accidentarium est. Nec magno id  
labore praestari reddit opus seruile, si ex se sit  
liberale; vacare namque studio intense magis

est laboriosum, nec ideo inter seruilia opera  
computandum.

## PROBL. XXXV.

*Licet, & non licet Typographo in die festo  
characteres componere.*

<sup>154</sup> Certum est, illicitum omnino esse officium  
illoi ut prelo infundant. (vulgariter  
*Tiradores, y vatidores* vocitantur.) Quia horum  
actio totaliter est mechanica ac seruilis: Nil  
enim aliud ex se dicit, quam intinctionem li-  
terarum eademque super papyrus impressio-  
nem. In quo omnes conueniunt. Quaesierim  
autem, num Typographo compositor liceat  
characteres ordinare, aut post excussionem for-  
mulas distribuere?

Licet quidem. Quia huiusmodi ordinatio,  
aut de ordinatio, vel distributio characterum  
etiam in ordine ad impressionem, non est opus  
seruile: Ergo nec prohibitum in festo. Ante-  
cedens probatur. Quia per illam characterum  
compositionem manifestantur, & exprimuntur  
mentis conceptus: Ergo opus est mentale, &  
non seruile. Item quia transcriptio est licita in  
festis: Ergo & ordinatio literarum: nam haec  
nil aliud est, quam quaedam transcriptio ex  
originali in formulas typographicas, ut post-  
modum in papyro eudantur. Sic Homoben.  
*vol. 1. p. 1. resp. 34.* Laym. *l. 4. tr. 7. c. 2. num. 3.*  
Diana *p. 4. tr. 4. resol. 62.* & *p. 8. tr. 7. resol. 56.*  
Machad. *tom. 1. l. 6. p. 8. docum. 4. num. 1.* Trull.  
*in Decal. tom. 1. l. 3. c. 1. dub. 8. n. 5. & 6.* Auloni.  
*in sum. Dianae v. Festum, num. 5.* Leand. *de prac.*  
*Eccl. tr. 1. d. 4. quest. 18.*

Minimè licet. Quia illa ordinatio caracte-  
rum non est ex se conceptuum expressio, aut  
expressio conceptuum transcriptio: sed fa-  
brica ideo quaedam instrumenti mechanici, quod  
inferuire debet ad mechanicum opus. Dum  
enim Typographi characteres componunt, fa-  
bricant illas, quas vocitant formas, quibus  
deinde vtuntur ad eudendas literas, non ad ex-  
primendos conceptus. Characteres namque  
inuerso ordine apponuntur: quod satis indicat  
non ordinari ad lectionem, aut manifestandos  
conceptus; sed dispositionem esse, ut sint con-  
gruum ad eudendas litteras instrumentum. Ita  
Suar. *tom. 1. de Relig. l. 1. cap. 25. num. 8.* Pala.  
*tom. 2. tr. 9. d. 2. pun. 5. num. 5.* Cordub. *l. 6.*  
*Theol. moral. quest. 7. cap. 6.* Pasqualig. *decis.*  
*149. n. 4. & 5.* Balaes *v. Festum 2. n. 8.* Trull.  
*l. 3. Decal. c. 1. dub. 8. num. 5.* Filliuc. *tr. 27. cap. 9.*  
*n. 164. & 165.* Fagund. *de prac. Eccl. l. 1. c. 11. n. 7.*

<sup>157</sup> Quia amici Typographi meis in opusculis  
eudendis infundantes lubens admitto, primam  
sententiam valde esse probabilem tot doctorum  
magis patrocino, quam ratione nitentem. At  
quia magis amica veritas secunda: adhuc lon-  
gè probabiliore. Quia esto opus impressum ad  
illustrandum intellectum per se ordinatur, licet  
qualibet alia scriptura: actiones tamen, quae ad  
excussionem concurrunt per se, & immediate ad  
intellectum illustrandum non deseruiunt. Nam  
literarum compositioni accidentaria est omni-  
nò conceptuum manifestatio: possent enim illi  
characteres componi, quin aliquem conceptum  
manifestarent praecipue si in illis figura esset  
obliterata



## Secl. II. De Præcepto II. Problemata. 211

obliterata: Ergo talis cōpositio ex se nō est cō-  
ceptuū manifestatiua, sed solum ex accidenti.  
Quod à fortiori militat in charactē ad suas  
classiculas reductione, seu distributione, quē cō-  
ceptus non exprimit, potius confundit, ac dif-  
soluit. Sed quia munus distribuendi literas bre-  
ui tempore, ac facili dexteritate perficitur ex  
consuetudine, id ego haud difficile à piaculo  
liberarem.

### PROBL. XXXVI.

*Actio pingendi est, & non est in die festo  
licita, dum lucri causa perficitur, non  
animum relaxandi, aut artem addiscen-  
di gratia.*

158  
Licita est.

**L**icita est. Quia non est seruilis etiam si com-  
moditas corporis spectetur. Probo serui-  
lem non esse. Quia actio pingendi & est opus  
ab arte procedens, & ad memoriam conser-  
uandam maxime ducit: media enim imagine:  
representatur nobis prototypus: Ergo est  
opus liberale: & non seruile. Quod autem ex  
causa lucri fiat accidentarium est, ut saepe tra-  
didimus. Sic Sayr. in *Clauis*, l. 7. cap. 2. num. 13.  
Ludou. Lop. p. 1. *Instr.* cap. 5. Laym. l. 4. tr. 7. cap.  
2. num. 3. Ioan. de la Cruz p. 2. *direct. præc.* 3. a. 1.  
num. 1. Medi. l. 1. *Instr.* cap. 14. §. 8. Diana p. 4. tr.  
4. *resol.* 62. Non tamen eruditus Pater resoluit  
difficultatem, attamen in hanc videtur incli-  
nare sententiam.

159  
Non est licita.

Non est licita. Quia actus pingendi seruilis  
est siue fiat ob lucrum siue alio prætextu. Non  
enim tendit ad mentem instruendam, sed so-  
lum ad assimilandam imaginem arte factam  
rei veræ. Quod autem ex tali assimilatione  
memoria rei veræ Excitetur, hoc est per acci-  
dens. Ità Suar. tom. 2. de *Relig.* cap. 26. a. num. 4.  
Sa. *de Festum*, num. 5. Pedraza *sum. præc.* 1. fol. 17.  
Bonac. d. 5. q. 9. un. pun. 2. num. 25. Azor. tom. 2. l. 2.  
cap. 17. q. 6. Fagund. de *præc.* Eccl. l. 1. cap. 11. n.  
10. Palaus tom. 2. tr. 9. d. 2. pun. 5. n. 7. Molfes. tr.  
11. cap. 17. n. 45. Mald. v. *Festum*, n. 6. Leand. de  
*præc.* Eccl. tr. 1. d. 4. q. 20. Gordin. lib. 6. *Theol.*  
*Mor.* q. 6. cap. 6. Sanch. tom. 2. *Consil.* l. 5. cap. 2.  
dub. 12. & 16. Bassus v. *Festum* 2. n. 9. Filliuc. tr.  
27. n. 167. Trull. l. 3. *Decal.* cap. 1. dub. 8. num. 7.

160  
Einstem sum  
sententia.

Fiat causa lucri, aut non fiat, probabilius est  
mihi pingendi actionem esse seruilem, ideoque  
die festo exerceri non posse. Illa enim excita-  
tio memorie non sufficit ad constituendam  
liberalem pingendi actionem: aliàs effectio  
cuiuscunque imaginis, quæ sit per artem scul-  
pendi, vel conflandi, esset opus liberale.

### PROBL. XXXVII.

*Actio pingendi est, & non est licita in die  
festis, cum sit recreationis gratia.*

161  
Licita est.

**L**icita est. Quia actio pingendi eiusdem ra-  
tionis esse videtur cum scribendi actione:  
si quidem in ferendis quibusdam lineis, ac  
figuris consistit: quæ lineæ, ac figuræ etiam in  
scriptura reperiantur: quod verò figuræ ac lineæ

calamo, vel penicillo fiant, non videtur diuerfi-  
tatem ita magnam constituere, ut opus factum  
penicillo seruile sit, calamo autem sit liberale. At  
est, seruilis actio sit pingere id tamē gerere re-  
creationis gratia non est artem exercere: sed  
animum reficere: Ergo licitum in die festo est.  
Sic Angel. v. *Ferit*, num. 31. Syluest. v. *Domi-  
nica*, quest. 5. Armil. v. *Festum*, numer. 21. Rosel.  
v. *Ferit*, numer. 13. Bassus v. *Festum* 2. nu. 9.  
Laym. l. 4. tr. 7. cap. 2. num. 3. Sa. v. *Festum*, num. 5.  
Ioan. à S. Thoma in *expos. Doctr. Christi*, de 3.  
*præc.* *Decal.* fol. 40.

Licita non est. Quia pingendi opus est ser-  
uile, ut vidimus: Ergo quacumque fiat inten-  
tione, est illicitum: intentio enim aut finis  
operantis nō variat operis rationem. Ità Suar.  
tom. 2. de *Relig.* l. 1. cap. 36. num. 5. Caiet. 1. 2. q.  
122. art. 4. Bonac. tom. 2. d. 5. quest. 221. cap. 2.  
num. 25. Filliuc. tract. 27. num. 167. Fagund. de  
*præc.* Eccl. l. 1. cap. 11. num. 3. & 16. Palaus tom. 2.  
tr. 9. d. 2. pun. 5. num. 7. Sanchez tom. 2. *Consil.*  
lib. 5. c. 2. dub. 12. & 16. Trull. lib. 3. *Decal.* cap.  
1. dub. 8. num. 7. & alij.

162

Non est licita

Hanc sententiam probabiliorē esse exi-  
stimo. Tom quia ars pingendi absolute illi-  
beralis est. Est enim de scriptura ratio. Nam  
scriptura procedit à mente, ad exprimendos  
mentis conceptus, ratiocinia, & iudicia: imò  
est ipsamet expressio conceptuum, ac exte-  
rior quædam locutio: Pictura verò non est ex-  
pressio conceptus, sed expressio rei representa-  
tæ per conceptum: sicut effectio domus est ex-  
pressio domus conceptæ, non conceptus. Ne-  
que obstat hanc actionem saepe à nobilibus  
exerceri, quia hoc est propter excellentiam,  
propria tamen est seruorum. Si seruilis ars est,  
haud licebit die festo eam exercere, licet fiat  
relaxandi animi gratia. Dic mihi obsecro: si  
quisde pingat imaginem animo illam donan-  
di Ecclesiæ, licebit nē id gerere in die festo si-  
nē Prælati facultate? Minime quidem: quia  
non licet seruile opus gerere in festo etiam  
causa pietatis sine exculante necessitate. Ergo  
multò minus licebit id voluptatis causa  
præstare.

163

Probabilius  
hoc videtur.

### PROBL. XXXVIII.

*Licitum est, & non est licitum, in die fe-  
stis iuuenes pingere, addiscendi artem  
intentione.*

**E**st licitum. Quia pingere, addiscendi gra-  
tia, non est opus seruile, sed liberale, cum  
sit exercitium disciplinæ perficiens animum.  
Ergo licitum est id in die festo opus exercere:  
Sic Layman. Syluest. Rosel. Ludou. Lepez.  
Medi. Angel. Nald. Tabie. Quos citat Pal-  
qualig. *decis.* 142. num. 2. Sa. v. *Festum*, num. 5.  
Sanchez tom. 2. *Consil.* l. 5. cap. 2. dub. 6. numer. 8.  
Bassus v. *Festum* 2. num. 9. Llamas p. 3. Meibo.  
cap. 5. §. 6. & alij.

164

Licitum non

Licitum non est. Quia actus pingendi ad-  
discendi gratia non differt intinsece & essen-  
tialiter à quocumque alio actu pingendi di-  
uersa intentione facto: verbi gratia ob lucrum.  
At hic vere est actus seruilis: Ergo & ille.  
Itē quia (ut non semel asserui) actus pingendi  
seruilis

165

Licitum non



seruile est, & intentio operantis nihil prodest, ut desinat esse talis. Ità Filiuc. *tract.* 17. *num.* 169. *Suar. tom.* 2. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 26. *num.* 4. & 6. *Fagund. de præc. Eccles. lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 10. *Palao tom.* 1. *tractat.* 9. *d.* 2. *puncto* 5. *num.* 7. *Trull. d.* 3. *Decal. c.* 1. *dub.* 8. *n.* 8. *Bonac. tom.* 2. *d.* 5. *q. vii. punct.* 2. *n.* 25. & alij.

166  
Probabilior  
sententia  
hæc.

Probabilior sententia hæc. Cui nullatenus obstat contrariæ fundamentum. Nam etiam alij actus pingendi quacumque gerantur intentione, perficiunt eodem modo animam, imò & perfectius, cum sint etiam perfectius disciplinæ exercitium; & nihilominus non sunt liberales, sed seruiles: Ergo non sufficit actum perficere animam, ut valeat liberalis appellari.

## PROBL. XXXIX.

*Licet, & non licet puellis in die festo acu pingere, seu recamaturas facere.*

167  
Licet plane.

**L**icet quidem. Quia acu pingere non est opus seruile: Ergo licite potest infesto exercere. Antecedens probatur: Nam acu pingere est proprium ingenuarum foeminarum opus: Item est opus ostentatium ingenij: Ergo non est seruile. Sic Palqualig. *Decis.* 148. At Armil. *verb. Festum, num.* 21. Sa. *verb. Festum, num.* 5. si id illæ gerant addiscendi causa. Et absolute Ioan. de la Cruz *sum. part.* 1. *præc.* 3. *art.* 1. *num.* 2. Azor. *tom.* 2. *lib.* 1. *cap.* 27. *quæst.* 6. Et probabile iudicant Trull. *lib.* 3. *Decal. cap.* 1. *dub.* 8. *num.* 6. & Leand. *de præc. Eccles. tractat.* 1. *d.* 4. *quæstion.* 25.

168  
Non licet.

Minimè licet. Quia est opus seruile acu pingere, sicut opus seruile est pingere penicillo. Ità Leand. & Trull. citati. Bonac. *tom.* 2. *d.* 5. *qu. vii. punct.* 2. *num.* 25. *Suar. tom.* 2. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 26. *num.* 5.

179  
Auctoritas  
voluta hæc  
sententia  
temperans.

Ego quidem absolute, & secundum se iudico, non licere, asserens seruile opus esse. Nam acu pingere potius pertinet ad conditionis seruilis foeminas, quam ad ingenuas. Quod si nobiliores interdum huic muneri incumbunt, sit communiter ad modicum tempus, & ob quandam modestam occupationem. At esto tale opus sit ingenij ostentatium, non tamen inde concluditur esse liberale. Quia etiam pingendi ars ostentat ingenium, & non inde est liberalis: & multæ aliæ artes mechanicæ ingenium ostentant, nec ideo excutunt seruitutem. Dici autem absolute, & secundum se artem acu pingendi esse seruilem, & in die festo non licita. Quia si alicubi viget approbata consuetudo, ratione illius proculdubio licebit.

## PROBL. XL.

*Licet, & non licet adolescentulis diebus festis sula ducere, aut aliud opus seruile exercere, ad otium repellendum.*

170  
Licet quidem.

**L**icet quidem. Quia ea opera exercere plus ad ludum, quam ad laborem spectare vide-

tur. Sic Syluest. *verb. Dominica, quæst.* 5. *Margar. Confes. præc.* 3. Sa. *verb. Festum, num.* 6. *Marchant. Decal. cap.* 3. *quæst.* 2. *Villalob. tract.* 12. *diffic.* 4. *n.* 10. Ioan. de la Cruz *sum. p.* 1. *præc.* 3. *art.* 1. *dub.* 1. *concl.* 4. *Diana p.* 3. *tractat.* 8. *resol.* 8. & *part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 8. Homebon. *volum.* 1. *part.* 2. *respon.* 35. Ioan. Henric. *sum. cap.* 7. *num.* 18. *fatus:* *Licito es à las muchachas labrar en dia de fiesta porque esto mas es ingrat, que traua, ar, como lo dice Sa. verb. Festum, num.* 6.

Non licet. Quia otium illud in festis est ordinatum ab Ecclesia & à Deo ad vacandum ipsimet Deo, quod fit sacrum audiendo, & ab operibus seruilibus cessando. Ergo contra hunc finem expresse agit, qui ut ab illo otio se expediat, seruilibus actionibus implicatur. Ità Trull. *lib.* 3. *eccl. cap.* 1. *dub.* 8. *num.* 6. *Suar. tom.* 2. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 26. *num.* 5. ubi de pictoribus loquens, eis solum concedit, ut per breue tempus, ad otium vitandum in sua arte occupentur. Comitoli. *lib.* 4. *respon.* quæst. 34. *Palao tom.* 2. *tractat.* 9. *d.* 2. *punct.* 10. *num.* 3. *Sanch. tom.* 2. *Consl. lib.* 5. *cap.* 1. *dub.* 18. *Bonac. tom.* 2. *d.* 5. *qu. vii. punct.* 3. *num.* 7. *Leand. de præc. Eccles. tract.* 1. *d.* 4. *quæst.* 26.

Ex se existimo non licere. Quia seruilis actio. Attamen licita erit, si alicubi approbata à Prælati vigeat consuetudo? Nec enim apud probam primæ sententiæ fundamentum. Laborem enim seruilem ludum facere, est quidem festi illudere obseruationem.

## PROBL. XLI.

*Ad vitandam peccandi occasionem ex otio prouenientem, potest quis, & non potest in festo seruilem laborare.*

**P**otest omnino, si hoc medium efficax prouideatur ad tentamina ex otio exurgentia repellenda. Quia hoc in casu præceptum creditur animæ viginti necessitati. Sic Nald. *verb. Festum, num.* 7. *Philarch. de offic. Sacerd.* *lib.* 3. *cap.* 23. *part.* 2. Sa. *verb. Festum, num.* 6.

Minimè potest. Quia seruile opus exercere quomodo erit medium vnicum ad vitandam animi seruitutem: cum extent alia media non prohibita ad vitandam otiositatem? An non aptior libri spiritualis, vel indifferentis lectio, mentalis, aut vocalis oratio, recreatio honesta? Ità Leand. *de præc. Eccles. tract.* 1. *d.* 4. *qu. 27.* *Palao tom.* 2. *tractat.* 9. *d.* vii. *punct.* 10. *mon.* 3. *Palqualig. decis.* 299. *num.* 3.

Ego existimo, eum qui timeret probabiliter, otium sibi causam delinquendi futurum, aliud quantum laborare posse: etsi hoc medium efficaciter menti obiceretur ut vnicum, tota die posse opus seruile gerere. Quia tunc adeest spiritualis necessitas, quæ efficacius excusat, quam corporalis. At raro accidet, ut opus seruile medium sit necessarium ad vitandum delinquendi periculum. Siquidem oratione, lectione, scriptura, aliisque recreatione honesta vitari potest aptius peccandi periculum.

PROBL.



# Sect. II. De Præcepto III. Problemata. 213

## PROBL. XLII.

*Piscatio, aucupatio, & venditio, si ob recreationem fiat, est, & non est in die festo licita.*

176  
Licita est.  
**L**icita est. Ob recreationem enim facta non est opus seruire, sed liberale. Et quia tam de aucupatione, quam de piscatione flumineæ, ac venatione viget ubique consuetudo. Sic Angel. Rosel. Syluest. Tabie. Armil. Pisanell. relati ab Azor. part. 2. libr. 1. cap. 27. quest. 7. Tolet. libr. 4. cap. 24. num. 7. Gordon. libr. 6. quest. 7. cap. 6. Bassæus verb. Festum 2. num. 12. Trull. libr. 3. Decalog. cap. 1. dub. 8. num. 8. Filiuc. tr. 1. 27. num. 174. At Armil. non bene citatur, quia verb. Festum, numer. 11. nihil de venatione disserit.

177  
Non est licita.  
Non est licita. Quia per se est opus seruire, tum ad utilitatem corporis per se ordinatur: actiones enim sunt ad vsum corporis, ipsæque utilitatem pertinentes. Ità Palao tom. 2. tract. 9. d. uni. punct. 5. num. 10. Suar. tom. de Relig. libr. 2. cap. 28. a num. 3. Fagund. de præc. Eccles. libr. 1. cap. 1. num. 16. Abul. ad cap. 12. Exod. question. 24.

178  
Hoc probabilis mihi.  
Hanc sententiam probabiliorē reor, si essentia (vt recte aduertit) operum spectetur: seruilia enim esse prorsus existimo. Porro ratione consuetudinis licita esse non dubito. Quia videntibus, & tolerantibus Pastoribus Ecclesiæ videtur hæc consuetudo introducta. Id autem de piscatione flumineæ dicta habet, nam de marina Problem. proprio dissendendum.

## PROBL. XLIII.

*Aucupatio, piscatio, ac venatio licita est, & non est in die festo, si ex officio, aut lucri causa geratur.*

179  
Non est licita.  
**N**on est licita. Quia seruire opus est, & dum ex officio, aut lucri geritur, magis ad corporis utilitatem ordinatur. Seruire autem opus esse, ex eo liquet, quod cap. Licet, de feriis, ex dispensatione conceditur piscatio diebus festis, & insuper propter facultatem datam erogari aliquid in pium vsum mandatur. Sic Angel. Syluest. Gordon. apud Pasqualig. decis. 299. Tolet. libr. 4. sum. cap. 24. num. 7. Bassæus verb. Festum 2. num. 11. Filiuc. tractat. 27. numer. 173.

180  
Licita est.  
**L**icita est. Quia ex se actio aucupandi, piscandi aut venandi non est opus seruire: Ergo licet in die festo. Nec fieri ex officio, aut ob lucrum nihil addit actioni vt eâ liberale offerat ad seruilem: vt sæpe aduertimus. Ità Azor. p. 2. libr. 1. cap. 17. quest. 7. Medina libr. 1. Instr. cap. 12. §. 8. Ludou. Lop. part. 1. Instr. cap. 52. Sa verb. Festum, num. 5. Nauar. sum. cap. 13. num. 11. Bonac. d. 5. quest. uni. punct. 1. num. 25. Et ad cap. Licet, de feriis, respondent. Nauar. & Azor inculgentiam ibi concessâ piscandi illud genus piscium non esse dispensationem in præcepto: ratione enim necessitatis videbatur dispensatum; sed esse quandam approbationem. Neque enim virget hanc indulgentiam concedi à Pontifice sub onere dandi congruam portionem Ecclesiis circum positis, & Christi pauperibus: nam vel illa portio erat debita ex obligatione decimas soluendi, vt ait Glossa: vel, vt Ludouico Lopez placet, solum de consilio & non de præcepto talis portio danda cauetur.

Ego consequenter assero actiones hæc ex se esse seruiles siue ex lucri, aut officio: siue ob recreationem fiant: vnde ex hoc capite minime licet. At ratione consuetudinis receptæ ac toleratæ ab Ecclesiæ Præfibus licitas esse crediderim. Legendus Fagund. de 1. Eccles. præc. lib. 1. cap. 11. num. 16. & Diana part. 4. tractat. 4. resol. 222.

## PROBL. XLIV.

*Licetum est, & non est in festo piscari in pelago aut recreationis, aut lucri causa.*

**L**icetum est, si fiat recreationis gratia, secus autem si ob lucrum. Quia dum fit causa relaxationis aut voluptatis non est opus seruire, secus dum lucri gratia geritur. Sic Gordon. lib. 6. quest. 7. cap. 6. Layman. lib. 4. tractat. 7. cap. 2. num. 6. Syluest. verb. Dominica, quest. 4. & verb. Piscari, quest. 2. Tabie. & Armil. verb. piscari, num. 1. & verb. Festum, num. 20. Licetum absolute est non solum causa recreationis, sed & lucri. Quia piscatio ex se est opus indifferens, non seruile: & ideo non prohibitum in festo. Sic Pasqualig. decis. 144. num. 4. Medi. sum. cap. 12. §. 8. Ludouic. Lopez part. 1. Instr. cap. 52. Nauar. cap. 13. sum. num. 11. Ioan. de la Cruz sum. præc. 1. art. 1. num. 2. Palat. verb. Fistor violatio, Bonacin. tom. 2. d. 5. quest. uni. punct. 2. num. 25. Sa verb. Festum, num. 5.

Licetum non est, etiam si piscatio illa fiat causa recreationis. Quia est opus seruire, & vt tale supponitur esse prohibitum in cap. Licet, de feriis, vbi Pontifex concedit ex privilegio diebus festis piscationem eorum piscium, qui vocantur *Alleias*, nam certis diebus assolent apparere. Quod si ex indulgentia conceditur huiusmodi tam opportuna piscatio, supponitur ex natura sua piscationem vt seruilem esse prohibita. Ità Suar. tom. de Relig. libr. 2. cap. 28. num. 6. Fagund. libr. 1. de præc. Eccles. cap. 11. num. 16. Palao part. 2. tractat. 9. d. uni. punct. 5. num. 9. Bassæus verb. Festum 2. num. 12. Filiuc. tractat. 27. num. 172. & 173. Granad. 2.2. controu. 3. tractat. 12. d. 4. sect. 7. num. 65. Sanch. tom. 2. Consil. libr. 5. cap. 2. dub. 15. num. 2. Trull. libr. 3. Decal. cap. 1. dub. 8. num. 8. Leand. de præc. Eccl. tractat. 1. d. 4. quest. 31. Machado tom. 1. libr. 6. part. 8. tractat. 9. docum. 10. num. 2. Diana part. 4. tractat. 4. resol. 222. Luisi. Torrian. sum. part. 1. cap. 230. dub. 14. concl. 2. Villalob. tom. 2. tract. 32. diffie. 2. num. 7.

Ego quidem existimo, piscationem, ac venationem ex se esse seruilem. Quia consuetudo huiusmodi artes fecit iam licitas: in quo ostenditur de se illiberales esse: ex accidenti tamen,



tamen, seu consuetudine non esse in die festo prohibitas; quæ consuetudo videtur prævaluisse, cum videntibus & consentientibus Prælati assolent exerceri. Nam de piscationibus in flumine recreationis gratia non dubito, ex consuetudine licere, maxime quando sunt moderata, & sunt sine magno ministrantium labore. Quæ verò sunt in mari, non esse in consuetudine affirmo, & ideo non licere: de hisque locutum esse textum *cap. licet de feriis* non posse dubitari. Monuerim autem, esto in *cap. licet* solum detur licentia, ad piscationem illius generis piscium specialis, qui vocatur *Allecia* at communiter extendi à Doctoribus eam facultatem ad quodlibet aliud genus piscium, quod certis diebus assolet apparere, cuius piscatio illa die gerenda est, quin minus magna ex parte amittetur. Conceditur tamen diebus Dominicis ac festis ea dispensatio (præterquam in maioribus anni solemnitatibus) cum illo onere, ut eleemosyna aliqua post factam capturam Ecclesiis circumpositis, & Christi pauperibus impertiatur. Quam eleemosynam gerendam esse ex obligatione existimo cum Suar. l. 2. de feriis *cap. ult. num. 7.* Quia sub eo onere illa facultas non debita conceditur. Si tamen in maioribus solemnitatibus ex dispensatione Prælati piscandum esset: tunc si Prælati dispensationem sub illo onere & eleemosyna elargienda expressè non concederet, minimè arctari piscantes ad eam præstandam existimar. Quia tunc non ex dispensatione *cap. licet*, sed ex Prælati dispensatione operantur.

## PROBL. XLV.

*Licita est, & non est in die festo prælatio extra necessitatem.*

185  
Licita est.

**L**icita omnino est, si Missa audiat. Quia est actio liberalis servis ac Principibus communis. Sic Caiet. 2. 2. q. 40. a. 4. Bannes ibi, dub. 4. num. 4. Valent. ibid. d. 3. quest. 16. vers. 3. Sa v. Bellum, pun. 5. n. 5. Manu. part. 1. sum. cap. 116. num. 10. Inclinant Bonac. d. 2. de res. it. q. ult. sect. 1. punct. 12. §. 4. & Suar. de bello d. 13. sect. 7. num. 14.

186  
Non est licita.

Minimè est licita. Quia opus servile est, merè scilicet corporale, ac laboriosum, ac circa effectus corporis omnino existens. Item est usus artis mechanice: Ergo non est opus liberale, sed servile: Ergo in die festo extra necessitatem omnino illicitum. Ita Suar. l. 2. de feriis, c. 28. num. 8. Fagund. de præc. Eccl. l. 1. cap. 11. num. 2. Palao tom. 2. tr. 9. d. vni. pun. 5. num. 11. Viçtores. in addit. ad Tolet. l. 4. cap. 25. Gordon l. 6. quest. 7. cap. 6. Bassæus v. Festum 2. num. 3. Filiiuc. tr. 17. num. 175. Trull. l. 3. De cap. 1. dub. 8. num. 9. Vnde asserunt, bellare diebus festis sine causa esse mortale.

187

Quid circa  
questionem  
iudicem vbe-  
rius expono.

Existimo militiam ex se non esse licitam in die festo; quia inter artes serviles computatur. A ratione necessitatis sunt eius actiones ferè semper licite. Quia si est bellum defensivum, ad defendendam propriam vitam, aut tuendam Rempublicam, ordinatur. Si aggressivum honestatur ex exigentia reportandi vi-

ctoriam, cuius opportunitas tunc occurrit. Vnde ex necessitate excusantur eos, qui aggenibus, fossa, & vallo arces, vrbes, ac Oppida muniunt, & alia similia exerunt: quando ex illis pendet victoria, aut sine gravi incommodo differri non posse videatur; Azorio asserente p. 1. l. 1. cap. 17. quest. 2. Caterum tempore pacis assolent diebus festis aliquæ exercitationes, ac demonstrationes militares, quarum usus est licitus tum ratione consuetudinis, tum causa moralis necessitatis ad publicam Civitatum custodiam, quæ quidem exercitationes hand possunt commodè aliis geri diebus: tum denique quia ea, quæ tunc sunt, parum aut nihil de servili opere habent; cum potius ad memoriam exercendam circà artis militaris peritiam, vel cognitionem personarum habendam ordinantur: & si aliquod servile admiscetur, aliis honestatur ex causis. Denique iam est consuetudine receptum, iuvenes diebus Dominicis ac festis artem digladiariam ediscere. Quia esto edificatur usu ac exercitio operis servilis, ob necessitatem Reipublicæ, cui maxime expedit, iuvenes exercitatos in prælio habere, videntibus, ac annuentibus Prælati, permittitur.

## PROBL. XLVI.

*Licetum est, & non est, in die festo molendinis aquæ, aut venti molere.*

**N**on est licitum. Quia necessariò magnus labor & non exiguo tempore à molinario est adhibendus servili quidem operi. Sic Abul. ad c. p. 12. Exod. quest. 38. Sayr. in Clavi. l. 7. cap. 2. num. 6. Pisanel. v. FERIA. Caiet. v. Festum. Sylvest. v. Dominica, quest. 5. Pasqualig. decis. 294. num. 7. Bonacinam pro contraria sententia citat, sed immeritò. Docet enim sum. 2. d. 5. quest. vni. pun. 3. num. 9. non esse licitum molitoribus die festo molere in molendinis fluvialibus, aut venti, si notabilem partem temporis in his infumant.

189  
Licetum est.

Licitum est. Quia non solum in his molendinis exiguus impenditur labor, sed etiam quia viget consuetudo his diebus molendi à Prælati quidem ob publicam utilitatem tolerata. Ita Navar. sum. cap. 13. num. 9. Ludou. Lopez part. 1. Instru. cap. 52. Manu. sum. cap. 121. num. 4. Sanch. tom. 2. consil. l. 5. cap. 2. dub. 13. citans Palacios, Rosellam, & D. Antoninum Palaus tom. 2. tract. 9. d. vni. pun. 10. num. 3. Pasqualig. citatus. Trull. l. 3. Decal. c. 1. dub. 19. num. 8. Fagund. de præc. Eccl. l. 1. c. 14. num. 20. Lublin. v. Festum, num. 4.

Fateor, opus esse servile; sed excusantur plane Molinarii; quia exiguum laborem ei muneri impendunt, & quia iam ex sæpe occurrente necessitate viget molendi hisce diebus consuetudo.

190  
Causa licet esse videtur.

PROBL.



PROBL. XLVII.

*Licet, & non licet molere die festo in molendinis, vel pistrinis, quæ terunt triticum opere bestiarum.*

191 *Minimè licet.* **M**inimè licet. Quia in his molendinis operi feruili planè magnus labor moli-  
narij adhibetur corporeus, vltra quem alius non leuior occurrit, nempe assistentia, & cura continua iumentorum molendini rotam tra-  
hentium. Sic Nauar. Lopez, Manuel, Palaus Sanch. & Bonac. apud Pasqualigum *decis.* 194.  
num. 7. Qui quidem non id abnegat absolūtè, sed solum casu, quo accidat notabilem partem  
temporis huic munerì impendi. Nam si modicum tempus infumatur ex iumentis dexteritate: tunc licitum esse affirmat. Trull. *lib.* 3. *De-*  
*calog. cap.* 1. d. b. 10. num. 8. Fagund. *de prac. Eccl.*  
*cap.* 14. num. 20.

192 *Licitum ab-*  
*solutè est.* Licitum absolūtè est. Quia hæc molendina  
etiam permittuntur in festis publicæ causa vti-  
litate. Et quia non maior labor in molendinis,  
quæ molunt iumentorum opera, impenditur,  
quam in molendinis aquæ & venti. Ergo si in  
his licet in festis molere: cur non in illis? Certè  
precipuus labor, qui in molendinis, quæ mol-  
lunt opera iumentorum adhibetur est imposi-  
tio tritici, & farinae extractio: at idemmet la-  
bor in molendinis aquæ ac venti impenditur.  
Ita Sa. *verb. Festum, num.* 5. Ioan. de la Cruz *par.*  
*1. sum. prac. 3. art. 1. conel. 4.* absolūtè & sine limi-  
tatione docentes, licitum esse in festis molere.  
Leand. *de prac. Eccles. tractat.* 1. d. 4. *quest.* 43.  
Azor. *tom.* 2. *lib.* 1. *cap.* 27. *quest.* 2. aliter, etiam  
hæc molendina, seu pistrina, vulgariter *Ata-*  
*na* in festis permitti, publicæ utilitatis  
causa.

193 *Autoris pla-*  
*citur.* Probabilem admodum primam sententiam  
esse ior, secundam verò æquè probabiliorem  
eligo. Verùm æquè laboriosum æstimo esse  
vnius ac alterius molendini ministerium. Nam  
si in pistrino vltra laborem immittendi triti-  
cum, educendique farinam continua cura iu-  
menti trahentis rotam adicitur in molendino  
aquæ, & venti vltra impositionem tritici, &  
farinae extractionem, adicitur cura assistendi,  
aquæ aut vento, nè superet, ne deficiat. Et cum  
molendinum hoc velocius operetur, quàm pi-  
strinum, frequentius debet molitor triticum  
adiicere, ac extrahere. Certè non capio, quo-  
nammodo sola molitoris ad bestiam assisen-  
tia efficiat hoc officium feruile: & non obsta-  
te impigra sollicitudine gerentis morem aquæ,  
ac vento officium illud à seruitutis nota li-  
beretur.

PROBL. XLVIII.

*Licitum est, & non est die festo longum pe-  
destre gerere iter, per se quidem, & non  
spectata consuetudine.*

194 *Non est per se*  
*licitum.* **N**on est licitum per se. Quia opus feruile  
est magna corporis initum defatigatio-

ne, quæ quidem superat, vel fodiendi, aut aran-  
di molestiam: vnde si ex consuetudine, aut vr-  
genti necessitate non honestetur huiusmodi  
longum iter geri non potest. Sic Cræet. 2. *qu.*  
*12. 2. artic.* 4. Sotus *1. 2. de inst. quest.* 4. *artic.* 4.  
Abul. *ad cap.* 12. *Exo. quest.* 24. & *que-*  
*stion.* 15.

Licitum non solum ex consuetudine, sed ex  
se. Quia iter agere de se est quædam naturalis  
actio consistens in quadam corporis situatio-  
ne, ac exercitatione, vnde non est opus feruile,  
sed liberale. Ita Nauar. *sum. cap.* 13. num. 6. Ro-  
sel. *verb. Festum, num.* 26. Azor. *part.* 2. *lib.* 1. *cap.*  
*27. quest.* 8. Suar. *tom.* 1. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 27.  
num. 9. Palaus *tom.* 2. *tract.* 9. d. vni. *punct.* 5. num.  
12. Sa. *verb. Festum, num.* 5. Trull. 3. *Decalog. cap.*  
*1. dub.* 8. num. 2. Fagund. *de prac. Eccles. lib.* 1. *cap.*  
*11. num.* 9. Layman. *lib.* 4. *tractat.* 7. c. 2. *dub.* 7.  
num. 4. Diana *part.* 2. *tractat.* 1. *resol.* 36. & *part.*  
*4. tractat.* 4. *resol.* 22. Villalob. *part.* 2. *tractat.* 32.  
*diffic.* 2. num. 9. Reginal. *lib.* 19. num. 38.

Ego existimo, minimè esse opus feruile. Li-  
cet enim aliquando iter fiat cum nimia cor-  
poris defatigatione, in causa non est, vt opus  
ex se liberale in feruile transeat. Alioqui pilæ  
ludus, qui defatigatione corporis nimia geritur  
frequenter, qui quidem est Principibus aquti-  
bûsque agnoscitur, deberet ex eo capite inter fer-  
uilia munia annumerari.

PROBL. XLIX.

*Licitum est, & non est, in die festo animalia  
aut currus onustos de vno loco ad alium  
deferre.*

SÛppono, esse sine controuersia licitum in  
festis iumenta non onusta ad alium locum  
traducere. Quia hoc non est aliud, quàm iter  
facere, quod licitum esse vidimus. Suar. *tom.* 1.  
*de Relig. lib.* 2. *cap.* 27. num. 3. Sanch. *tom.* 2. *Con-*  
*sist. lib.* 5. *cap.* 2. d. b. 7. num. 11. Quærim verò  
num licitum sit iumenta aut currus onustos  
deferre?

Non est licitum. Quia magnus assolet la-  
bor in imponendis, ac leuandis lapide oneribus  
adhiberi. Sic Suar. *cit.* Sanch. *vbi sup.* Bonac.  
*tom.* 1. d. 5. *quest.* vni. *punct.* 1. num. 25. Azor. *tom.*  
*1. lib.* 1. *cap.* 27. *quest.* 8. Palaus *tom.* 2. *tractat.* 9.  
*d. vni. punct.* 5. num. 11. Trull. *lib.* 3. *Decalog. cap.* 1.  
*dub.* 8. num. 2. Ballæus *verb. Festum* 2. nu-  
mer. 10. Leand. *de prac. Eccles. tractat.* 1. d. 4.  
*quest.* 50.

Licitum est. Quia de se est licitum iter face-  
re pedestri aut equestri expeditione. Ergo  
quod id fiat iumentis, aut currui onustis, vel  
vacuis per accidens est. Aliquis labor imposi-  
tioni ac leuamini oneris adhibetur, sed non  
est plerumque tantus, vt materię paruitatem  
videatur excedere. Ita Pasqualig. *decis.* 192. nu-  
mer. 10. Leand. *de prac. Eccles. tractat.* 1. d. 4.  
*quest.* 50.

Ego autem vtrâque sententiam probabi-  
lem adiudicans, sic quæstioni respondeo. Quâ-  
do deferretur iumentum aut currus onustus, qui-  
bus interdum onera imponenda sunt, inter-  
dum leuanda, si in tali impositione aut leua-  
tione multum temporis non absumitur, mor-  
tale non erit. At si passim onera sint leuanda,  
&



& passim imponenda, vel multum temporis in huiusmodi actionibus sit impendendum: cum hæ actiones sint ex se seruales de se ex aliquo extrinseco honestari, nempe ex graui detrimento, quod pateretur huius iumentis, aut curus onusti ductor, si die festo quiescere cogere-  
tur, quocumque iter agendo perueneret. Vel etiam excusatur ob publicam vtilitatem ad quam necessarium ferè semper est, vt sine mora ac grauamine hæ mercium asportatio fiat: & ita cõsuetudo huiusmodi excusationem approbavit. Suar. *ibid* Manu. tom. 2. sum. cap. 121. Sa verb. Festum, num. 5. Palaus citatur.

## PROBL. L.

*Licetum est, & non est licitum mulionibus iter cum iumentis, aut curribus onustis iter die festo incipere.*

201  
Nonnulla  
suppono.

Suppono, licere eis, iter ante inceptum, die festo continuare. Quia id approbat consuetudo, & quia deberent iter interrompere, graue eis incommodum pararetur, & fortasse Reipublicæ, ad quam merces asportarentur. Sanch. tom. 2. Confil. libr. 5. cap. 2. dub. 7. num. 8. Suar. tom. 1. de Relig. lib. 7. cap. 27. num. 3. & alij communiter. Quæstio autem est, num licitum illis sit, die festo illud iter inchoare?

202  
Non est  
licitum.

Licitum non est. Quia cum soleat accidere, vt magna pars diei impendatur in frequenti onerum leuatione, qui die ipso festo iter incipit sese violandi illud periculo exponit. Casus autem nimij huiusce laboris non tam raro accidit, vt accidentarius esse asseratur. Sic Reginal. lib. 19. num. 50. Margar. Confel. verb. Festum. Rosel. verb. Feria, num. 2. D. Antonin. part. 2. tit. 9. cap. 7. §. ultim. Filliuc. tract. 27. num. 128. citatur malè à Pasqualigo decif. 292. num. 3. docet enim contrarium. Layman. lib. 4. tract. 7. cap. 2. num. 5. Barbo. lib. 1. Decretal. cap. Omnes dies de feriis, num. 5.

203  
Licitum est.

Licitum est, Missa primùm audita. Quia sic per receptam consuetudinem est introductum, ob Reipublicæ commodum. Ità Manu. part. 1. sum. cap. 121. num. 2. Filliuc. citatur hisce quidem verbis: *Muliones, & asiones, qui bestiis onusti iter faciunt in die festo, & sæpè incipiunt, excusantur*: Sic enim bono publico mercatorum magis conducit. Pasqualig. *ibid*. num. 10. Trull. lib. 3. Decalog. cap. 1. dub. 8. num. 2. Diana part. 1. tract. 15. resol. 36. Machad. tom. 2. lib. 6. part. 8. tract. 6. docum. 4. num. 2. Leand. de præc. Eccles. tract. 1. d. 4. quæst. 5. 2.

204  
Eiusdem sum  
mentis.

Eiusdem mentis sum. Nam ferè eadem causa militat de inchoatione itineris, ac de ipsius continuatione: cum in vtrâque eadem defatigatio reperitur. Labor qui plerumque impenditur, materiam constituit paruitatem quæ veniale piaculum constituit, licet ab eo ex consuetudine recepta non liberarentur: maior autem labor ex accidenti non vitiat opus, quod licitè fuit inchoatum.

\* \*

## PROBL. LI.

*Licet, & non licet, imponere festis diebus onera perpetuo amenti, aut seruo infideli.*

Non licet onera imponere perpetuo amenti, Quia imponens huiusmodi onus amenti, ti contra legem agit, cum cogat exerceri prohibita. Nec licitum est ea onera imponere seruo infideli. Quia dominus nequit præcipere seruo, vt exerceat hæc seruilia opera, licet ille ab his abstinere non obligetur: sicut nec possunt facere, vt à iumentis exerceantur. Vnde pariter de onere imposto perpetuo amenti, qui veluti iumentum, legi non subicitur, valet hæc ratio. Sic Moure p. 3. præc. 3. n. 16.

Licet vtrumque: Quia perpetuo amentes non sunt legum capaces: Ergo illas transgredi non possunt: neque imponens onus contra legem agit cum opera seruilia amentem huiusmodi exercere, prohibitum non sit. Eadem ratio in infideli militat. Ità Laym. l. 1. tr. 4. c. 10. n. 3. Paqualig. decif. 309. Diana p. 3. ar. 14. resol. 7. Leand. de præc. Eccles. l. 1. d. 4. q. 53.

Profecto opera seruilia diebus festis interdiciuntur iis, qui modo humano, & viliter exequi possunt præceptum, non infantibus, ac videntur perpetuo amentibus, qui non sunt rationis capaces: nec item interdiciuntur seruis infidelibus, qui Ecclesiæ legibus non tenentur. Vnde cum ij non obligentur, nec dominus onera imponens opus seruile exerceat, quod impediatur festi sanctificationem: non video vndenam possit esse prohibitum. Nec videtur circa perpetuo amentes Moure obiectio: licitum enim est cuique, vt die festo onera à brutis deportentur, si ea onera adiacere possint homines regentes ferè nullo opere seruili: secus si non possent iumenta sine magno hominis opere seruili, seruili operi deferuire. Quia tunc illicitum esset ea onera iumentis imponere ratione operis seruilis hominis imponentis. Monuerim tamen haud esse imponenda onera perpetuo amenti, si ad iram is concitetur, Blasphemias iactet, aut alios percutiat. Quia licet ipse non peccet, iumentis instat, talia opera quæ suapte natura deformitatem habent, principali libero agentis tribuuntur.

## CAPVT VIII.

*Circà actiones, quæ liberales cum sint, sunt tamen speciali iure in festo prohibita.*

## PROBL. LII.

*Ex consuetudine saltem licita sunt, & non sunt licita Nundine publica (quæ assolentur semel aut bis in anno fieri in diebus festis).*

Recolo, quinque esse actiones, quæ licet seruiles non sint, iure tamen speciali in die festo



## Sect. II. De Præcepto III. Problemata. 217

fecto interdiciuntur: scilicet Mercatum, Placitum, Iudicium civile, vel criminale, Iuramentum, & Processus ac strepitus iudicialis. Quinta hæc actio prohibetur *c. fin. de feriis*: quatuor illæ *c. 1. de feriis* interdiciuntur. Certè nomine *Mercatus* veniunt Nundinæ, quæ semel aut bis in anno fiunt: & mercatus, quæ semel in hebdomada agitur, & omnis emptionis ac venditionis contractus. Itaque quæsierim, an non obstante huiusmodi prohibitione, saltem ex consuetudine licitæ sint in die festo Nundinæ, quæ semel aut bis in anno fieri assolent?

209  
Licita non sunt. Quia est iniqua, prava, & irrationabilis consuetudo. Nam licet mercari absolute peccatum lethale non sit, est tamen ex genere actionum, quæ ad peccatum lethale trahunt: vix enim inter eementes & vendentes non aderit peccatum aliquod, ut de se patet, & habetur in *c. Qualitas de panis. dist. 7. §. 5.* & propter hanc causam specialiter huiusmodi mercatus seu Nundinæ diebus festis prohibentur. Et quidem multum abstrahunt animum à divinis, ad quæ festa destinantur. Ergo hæc consuetudo prorsus iniqua est reputanda. Sic Hostiens. & Abbas ad *c. 1. de feriis*.

210  
Sunt equidem licitæ, ex consuetudine. Quia videmus fieri huiusmodi Nundinas diebus festis, non solum quando contingit, dies festos coniungi cum Nundinarum diebus: sed etiam directa intentione festum ad eas designando, ut celebriores fiant: Ergo iam ex consuetudine sunt licitæ. Quod autem eas fecerit licitas consuetudo ostendit: Quia tota observatio festorum & quo ad electionem diei, & quoad viginti quatuor horarum tempus, est de lege humana, ac de iure Ecclesiastico: At potest consuetudo moderari ea, quæ sunt de iure humano, sicut & tollere omnino, argumento *c. fin. de consuetud. dist. 1. Itā Fagund. de præc. Eccl. l. 1. c. 12. n. 6. Nauar. sum. c. 13. n. 8. Tolet. l. 4. c. 24. n. 4. Suar. to. 1. de Relig. l. 1. c. 19. n. 3. Caiet. 2. 2. q. 122. a. 4. & alij communiter.*

211  
Hoc mihi certum. Hostiensis & Abbas venia. Quia in hisce Nundinis (ne iniqua sit consuetudo) possunt aliquæ rationes tam cohonestantes inveniri, Cohonestat siquidem hunc morem publica necessitas: solum enim fieri Nundinæ diebus festis interdum, ut rusticani, ac pauperes homines illas adeant, cum non possint in aliis diebus operas suas deferere, faver pietas: sunt namque aliquando Nundinæ die festo in aliquo loco, quia ea die assolent multitudo populorum illuc causa pietatis convenire: & tunc ne cogatur illuc redire iterum, vel ibidem detineri cum magno dispendio, Nundinæ celebrantur. Ceterum primæ sententiæ fundamento minimè convincor, cum illud non obstat, quominus huiusmodi mercatus aliis diebus licite exerceantur, imò diebus profestis: Ergo nec obstat, quominus in diebus festis licite fiant, si in illis specialiter non prohibeantur, ubi autem consuetudo prævaluit, iam cessavit prohibitio. Præterea quia illa ratio pertinet ad motum legislatoris, non tamen facit materiam legis adeo iniquam, ac necessariam, ut contra illam non possit consuetudo prævalere, ut Suarius affirmat, si ergo consuetudo contraria potest festum omnino tollere, quomodo non poterit illud imminuere? ita ut in illo huiusmodi Nundinæ licitæ existant. *Eschob. & Mend. Theol. Moral. Tom. IV.*

stant? Monuerim tamen, nunquam huiusmodi consuetudinem potuisse ita introduci, ut Missa scilicet omitti valeat absque speciali necessitate excusante. Vnde mortaliter proculdubio delinquet, qui his diebus Missam non audiret, nisi aliunde iuste excusentur. *Suar. cap. 29. numer. 4. Sylvest. v. Dominica, numer. 4. Nauar. sum. cap. 13. num. 8. Tolet. lib. 4. cap. 24. num. 4.*

### PROBL. LIII.

*Hebdomadarij Mercatus possunt, & non possunt in die festo licite geri.*

Mercatus, qui fiunt singulis hebdomadis in Urbibus, oppidis, pagis, non possunt licite die festo geri. Quia id iure prohibetur iustitiam quidem cum possint facile in alteram diem transferri, (ut in Valentia & alibi pius usus obtinuit.) Sic Hostiens. & Abbas ad *cap. 1. de feriis*.

Fieri licite possunt, id dante consuetudine. Quia consuetudo potest minuire, & tollere ea, quæ sunt de iure humano. Itā Sanchez *tom. 2. consilior. libr. 5. cap. 1. dub. 25. numer. 7. Fagund. de præc. Eccl. lib. 1. cap. 12. numer. 7. Suar. tom. 1. de Relig. lib. 1. cap. 29. numer. 5. Nauar. sum. cap. 13. num. 8. Tolet. lib. 4. c. 24. num. 4. Sylvest. v. Dominica, q. 5. Caiet. v. In festo licita. & alij communiter.*

214  
De hoc minimè dubito cum viderim apud illos Castellæ urbis, ubi dies Iouis designatus est ad mercatum, etiam in die Ascensionis, ac Festi Corporis Christi, conveniuntibus Prælati, illum haberi. Et quidem hebdomadarij possunt fieri die festo in gratiam emptorum, vel quia fortasse sunt rustici, & peregrini, qui alio die adesse huic Urbi non possunt: vel in venditorum gratiam, qui alio die non possunt vendere ob defectum ementium. Quæ omnia generaliter spectata ad publicam pertinent utilitatem. His tamen non obstantibus lex Canonica obligabit nisi consuetudo aliter obtineat.

### PROBL. LIV.

*Mortale est, mortale non est vendere, & emere in die festo.*

Mortale ex se non est, si non addit scandalum. Quia ideo prohibetur emptio & venditio in festis, ut in eis opus servile non exerceatur. Sed opus illud servile parum est laboriosum magis enim verbis efficitur, quam actione. Ergo ad summum veniale erit peccatum. At si qualitas actus spectetur, cum sine scandalo geritur, festi haud læditur reverentia. Sic Sotus de *inst. l. 6. q. 2. a. 2. concl. 5. Valent. 2. 2. d. 5. q. 20. p. 5. Hurtado autem de inst. d. 2. de empt. & vendit. diffie. 17. asserit, mortale esse, cum venditio aut emptio fit in Dominicis, non verò in aliis festis.*

216  
Est de se mortale, si notabilis festi cuiusvis pars in his actionibus absumatur. Quia sunt promissæ.

Tribitæ



hibere fieri in die festo, eo quod sint seruiles. Ita Syluest. v. Dominica, qu. 5. concl. 2. Caiet. v. fessor. violatio. vbi id à mortali excusat, quando modicum solum tempus absumitur. Sanch. lib. 5. consil. c. 25. n. 3. Fagund. de prec. Eccl. l. 1. c. 12. n. 8. Leab. de Eccl. prec. tr. 1. d. 5. q. 5.

217 *Hic tenet, & expono.* Equidem ad tertium genus mercatus spectant emptiones, & venditiones quotidianae apertis officinis, quae directe iure Canonico interduntur: & hoc genus est in viridi obseruantia: vnde mortaliter delinquant, qui vendunt, aut emunt die festo, multum absumendo in his actionibus: non autem si exiguum: verbi gratia in vendendis, emendis, & esculentis, ac poculentis aliisque quibus de pretio non est conueniendum, quia iam est aestimatum, ac citò fit. Certe non est prohibitum emere in die festo ad victum necessaria. Quae tamen facile vitari possunt, vitanda sunt, nisi propter leuitatem materiae & confusum vsum aut consuetudinem ementes, ac vendentes excusentur. Sic ob huiusmodi vsum excusantur ementes ac vendentes artocreas, olea, & condimenta, quia solent mercenarii artifices ea vendere, videntibus, ac non repugnantibus Ecclesiae Pastoribus. Similiter non erit peccatum vendere calceos, & alia huiusmodi, cum passim etiam haec venditio toleretur, & publice fiat, & haec necessaria sint, modicoque tempore fiat: potest autem haec consuetudo tolerari propter rusticos, qui non possunt commodè aliis diebus ad urbem aduenire, quin suas operas cum magno deferant detrimento.

## PROBL. LV.

*Citatio facta in festo illicita quidem: est & non est inualida.*

218 *Circa placitum nonnulla praemisso.* Secundum opus, quod iure Canonico in festo fieri prohibetur, est *Placitum*, seu iudicium forense, sub quo nomine omnes actiones pertinentes ad iudicium comprehenduntur c. 1. de feriis. Sic *His diebus nec placitum fiat, neque aliquis ad mortem, vel ad penam iudicetur, nec Sacramenta (id est iuramenta) praesentur.* sub hoc ergo Placito strepituque iudiciali (qui prohibetur c. ult. de feriis.) tres speciales actiones comprehenduntur, nempe citatio partis, formatio processus, seu cognitio causae, & sententia: quia his tribus actionibus iudicium constat. Haec ergo siue in criminali causa, siue in civili prohibetur: quia praefati textus generaliter loquuntur. Lege Suarium to. 1. de Relig. l. 2. c. 29. n. 8. Fagund. de prec. Eccl. l. 1. c. 12. n. 9. Palaui to. 1. tr. 9. d. 1. pu. 6. n. 6. Porro non solum haec actiones diebus feriis in honorem Dei prohibentur, sed insuper annullantur, ita vt ex consensu partium valida fieri non possint. c. ult. de feriis. ibi: *Adeo conuenit, ab huiusmodi abstinere, vt consentientibus etiam partibus nec processus habitus teneat, nec sententia quam contingit diebus huiusmodi promulgari.* Scio, si dies feriatas non sit in honorem Dei, sed causa vindemiarum & messium in hominum utilitatem, (quae festa ruralia dicuntur) actus iudiciales ex partium consensu eo die factos, & licitos & validos esse. Quia

ei vacationi, seu festo possunt partes renunciare, vt pote in gratiam & utilitatem ipsarum introducto. At si partes non consentiant integra prohibitio, ac annullatio perseverat. Maranta p. 6. de ordi. iudic. n. 36. & Fagund. citat. n. 11. His praemissis, aliquas problematice enodabo quaestiones. Quaeritur itaque, num citatio facta in festo sine necessitate non solum sit illicita, verum etiam inualida?

Inualida non est. Quia ad iudicalem non spectat strepitum: citatur enim pars, vt strepitus iudicialis post hanc necessariam diligentiam factam inchoetur. Sic Cynus apud Panormit. cap. ultim. de feriis, num. 19.

Est prorsus inualida. Quia pertinet intrinsecè ad iudicalem strepitum, qui totus prohibitus, & irritus est, cap. ultim. de feriis. vbi expressè habetur quod nec processus, nec sententia die festo habita teneat. Ita Bartol. Panormit. & alij Canonistae ad illud caput. Suar. to. 1. de Relig. l. 1. c. 30. num. 4. Azor. p. 2. l. 1. cap. 27. q. 15. Fagund. de prec. Eccl. cap. 13. num. 1. & 11. Palaui to. 1. tr. 9. d. 1. punct. 7. num. 1. Trull. l. 1. Decal. cap. 1. dub. 9. num. 11. Filiuc. tract. 27. c. 10. num. 191. & alij.

Prima pars iudicii est citatio, quae comprehendit & mandatum Iudicis de citando reo, & ipsius mandati executionem, quae nomine citationis signatur. Quaelibet harum partium, si in die festo geratur, illicita est & nulla, c. conuestus de feriis. vbi omnis iudicialis strepitus praecipitur conuiescere: sed quaelibet ex his partibus pertinet ad iudicalem strepitum. Itè ibi annullatur processus habitus: sed processus necessario constat ex mandato Iudicis de citando, & executione talis mandati: Ergo omnia haec in die festo gesta annullantur. Ratio est, quia praecceptum Iudicis de citando reum, est actus iurisdictionis contentiosae ex causae cognitione procedens: non enim Iudex hoc mandatum dare potest, quin prius examinet, an iustè, an malitiosè actor procedat: sed ex praefatis textibus constat, omnem strepitum iudicalem diebus his cessare debere. Ergo debet cessare hoc citationis mandatum, quod est iudicii initium. At si mandatum Iudicis in die profesto datum sit, & executio illius in die festo fiat: talis executio nulla erit: quia illius executio est propria citatio, & licet fiat per ministrum, sit tamen Iudicis nomine, & secum imbibit Iudicis mandatum, & iurisdictionis exercitium, & ad strepitum iudicalem omnino pertinet. Adnotant tamen Suarius, Fagundez, & Palaui citati, facta hac intimatione die festo mandati expediti in die profesto, non expirare huiusmodi mandatum, sed posse alio die profesto intimari, ac si primo intimatum non esset. Quia ex illa applicatione mandati nulla non annullatur mandatum legitime datum.

## PROBL. LVI.

*Citatio facta pro die festo nulla prorsus pro assignato die: obligat, & non obligat partem, ad comparandum die proxima sequenti ad diem festum.*

Certum est, citationem factam in die profesto pro die festo, illicitam esse & inualidam, min. Quia



## Seçt. II. De Precepto III. Problemata. 219

Quia pars non potest vocari ad respondendum in die festo, vt constat ex c. vlt. de feriis. Sanch. tom. 2. Confil. l. 5. cap. 2. dub. 27. n. 8. & omnes. Quasi enim verò, num saltem citatio illa facta die profesto, obligat partem, ad comparandum die proximo sequenti ad diem festum?

223 Obligat quidem. Quia in huiusmodi citatione duo continentur: vnum, vt pars compareat alterum, tali die. At potest impleri primum vt pote iustum: ergo ad illud pars tenetur: Ergo obligatur saltem ad comparandum die proximo sequenti ad festum. Sic Innoc. Anton. & alij citati à Suario tom. 1. de Relig. l. 2. cap. 30. num. 3.

224 Non obligatur. Quia decretum comparandi in die festo fuit irritum & nullum: Ergo nullam potest obligationem inducere Ita Abbas ad cap. vlt. de feriis, citans Calderin. Cynum, & alios. Suarius vbi f. Azor. tom. 2. l. 1. cap. 27. q. 16. Fagund. de prac. Eccl. l. 1. cap. 13. Trull. l. 3. Decal. cap. 1. dub. 9. num. 1. Leand. de prac. Eccl. tr. 1. d. 5. q. 18. asserens hanc sententiam longe esse probabiliorē.

225 At ego, Leandri venia, crediderim nihil probabilitatis continere. Quia non potest citari pars sine Iudicis (mediante ministro) citatione. At illa citatio omnino fuit irrita: Ego pars citata non est. Quomodo ergo obligabitur die proxima ad diem festum comparere nisi rursus legitime citetur. Igitur secundam sententiam vixit probabilē esse existimo nixus ratione: esto ab alijs ex auctoritate Innocentij & aliorum primam probabilē esse indicant.

### PROBL. LVII.

*Si Iudex imperet, vt intra duodecim dies (verbi gratia) pars compareat & dies a duodecimo signatus est festus: tenet, & non tenet mandatum.*

226 Non tenet. Quia tunc Iudex virtualiter obligat, vt pars die festo compareat: siquidem non tenetur intra duodecim dies comparere, dies autem duodecimus est festus: Ergo obligans vt intra duodecim dies pars compareat, eum obligat, die festo comparere. Quod tamen comparationem in diem sequentem debeat ille differre verba precepti non indicant, imò potius tali dilationi aduersantur. Sic aliqui Doctores, quos refert Maranta p. 6. de ordi. iudicarij. tit. recte concipiunt citatio, n. 119.

227 Tenet mandatum. Quia est de apparitione tempore licito. Præcipit enim Iudex, ne comparationem ultra duodecim dies pars proroget: cum autem ille comparere possit quin diebus festis compareat, comparando scilicet tempore habili. Ergo mandatum prorsus est iustum. Ita Maranta citant. Suar. de Relig. tom. 1. lib. 2. cap. 30. numer. 3. Palas tom. 2. tract. 9. d. 2. punct. 7. numer. 3. Fagund. de prac. Eccl. lib. 1. cap. 13. num. 3. 7. & alij.

228 Intra duodecim illorum dierum circumsum plures sunt dies non festi, in quibus potest pars comparere, si quidem Iudex non cogit, vt die duodecima appareat: Hoc enim mandatum & citatio inualida reddet. Esob. & Mend. Theol. Moral. Tom. IV.

retur, sed vt intra duodecim dies teneatur comparere. Vnde secundam sententiam longe probabiliorē (imo, mihi certam) esse indicarim.

### PROBL. LVIII.

*Cum Iudex imperat, vt intra duodecim dies pars compareat, & duodecima dies est festus: tenetur, & non tenetur pars, pruenire apparitionem ante diem duodecimum, Potest & non potest in diem sequentem ad duodecimum differre.*

Non tenetur pruenire apparitionem ante diem duodecimum, sed potest eam in diem sequentem ad festum differre. Quia sic videtur esse vñs, & stylus Iudicum. Sic Suar. tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 30. num. 3. Fagund. de prac. Eccl. lib. 1. cap. 13. num. 7.

Præuenire tenetur diem duodecimum, nec potest in diem sequentem differre apparitionem. Quia mandatum non arctatur pro aliquo determinato die ex illis duodecim: solum enim obligat, ne ultra differatur. Ita Bartol. ad cap. Cum delicti, de dolo, & contuma. Bonac. tom. 2. d. 5. quest. vñi. punct. 2. num. 17. Palas tom. 2. tract. 9. d. 2. punct. 7. num. 3.

Hoc probabilius esse putarim. Quia de consuetudine mihi non constat, in rigore autem iuris, si verba pensentur: constare videtur, debere partem diem duodecimum præuenire. Nam si obligat mandatum Iudicis, vt apparitio ultra assignatum diem non differatur, & id geri possit, si vno ex habilibus diebus illis appareat, quo iure quibit apparitionem ultra terminum assignatum protrahere? Quid si Iudex dicat, vt pars appareat duodecimo die: qui est festus: Credendum est, nolle apparitionem ad illam diem determinare, sed velle, ne ultra illum differatur: & tunc validum citatio & mandatum erit. Nam si ad illum diem mandatum determinaretur, certum est nullum fore. In casu autem dubij prima est intentio præsumenda, quia fauorabilior, & quia semper præsumptio gerenda est pro actus valore sic Palas vñ f. Si autem perquiras, an reus citari possit existens in loco, vbi dies festus celebratur, tamen si loco, quo Iudex adest, non celebretur? respondeo, non posse. Quia intimatio mandati à Iudice lati fit in loco vbi est dies festus: Ergo fit illicitè & nulliter. Item quia hæc intimatio non est metienda iuxta regulas loci, vbi pars citata residet. Quod secas dixerim de mandato, & sententia, quæ quia à Iudice fiunt, locum Iudicis spectant, & iuxta illius regulas metienda sunt. Verum citatio rei, & intimatio ei facta de Iudicis mandato, semper metienda est ex conditionibus loci, vbi reus existit, quia ibi formaliter fit. Bonac. d. 5. quest. vñi. punct. 2. numer. 20.



## PROBL. LX.

*Testium, examinatio, (si iuramentum non adfit:) licita ac valida est: & non est in die festo.*

235  
Nonnulla  
suppono.

Secundus actus iudicii, qui prohibetur fieri in die festo, est examinatio testium, sub qua examinatione duæ actiones includuntur. Prima est iuramenti interpositio, de qua nemini est dubium, neque licitam esse, neque validam in die festo, cum ad strepitum iudiciale pertineat, & sit vnum ex expressè prohibitis in c. 1. de feriis: Nec Sacramenta prestantur. Secunda actio est examinatio testium, seu eorum depositio. De hac quaesierim, num licita ac valida sit in die festo?

233  
Licita est,  
valida.

Licita, & valida est. Quia minime prohibetur fieri in festo, si iuramentum in die profesto susceptum sit. Azor. 10. 2. libr. 1. c. 27. quest. 1. 4. cum Glossa, Speculat. Ioan. Andrea. & aliis. Maranta de ordi. iudic. pun. 6. tit. Auditorum editio, num. 40. Abbas autem ad cap. 1. de feriis, tamen exilimet depositionem testium illicite die festo fieri, quia distrahit à diuinis: at si fiat, validam esse. Quia talis depositio retrahitur ad diem non feriatum, in qua delatum est iuramentum: est enim depositio iuramento accessoria. Et quia non est actus iudicialis, vt à iuramento distinguitur, & ita fieri solet per merum executores, neque persona Iudicis necessum est ibi intercedat.

214  
Illicita, & in  
valida est.

Illicita, & inuvalida est. Quia per hanc depositionem firmatur processus, & bis continuatur: At in cap. Conquestus, de feriis, mandatur, litem omnino quiescere, & processum habitum non tenere: Ergo talis depositio omnino est illicita, & nulla. Ita Suar. 10. 1. de Relig. l. 2. cap. 30. num. 16. Fagund. de præc. Eccl. l. 1. cap. 13. num. 16. Palao tom. 2. tract. 9. d. 2. pun. 7. m. 6. Bonac. tom. 2. d. 5. qu. vii. pun. 2. n. 21.

235  
Hoc prohibetur  
reor.

Probabilius hoc mihi. Quia testes non examinantur, nisi renouato iuramento, quod in die festo minime licet. Præterea vel testes cogi possunt die festo ad respondendum, vel non: si cogi non possunt, ideo est, quia eorū depositio actus est iudicialis, qui in die festo est prohibitus; si cogi possunt, eorum depositio non erit iudicialis actus. At negari non potest, testium depositionem actum esse iudicalem, cum à Iudice fiat, & omnino necessaria sit ad causæ decisionem. Vnde Tabellio scribens die festo dicta testium & fidem illorum faciens, grauiter delinquit. Quia aduersatur directæ prohibitioni: & quia gerit actum nullum. Proculdubio enim scriptura illa pertinet ad processum substantiam, qui in die festo factus irritatur, & annullatur.

## PROBL. LX.

*Iuramentum extraiudiciale est, & non est in die festo prohibitum.*

236  
Certum sup-  
pono.

Certum est, interpositionem iuramenti nec licitam, nec validam in die festo esse nisi

in certis casibus, de quibus inferius. Quia sic habetur cap. 1. de feriis & omnes docent. Quæsierim verò, num etiam sit prohibitum iuramentum extraiudiciale in die festo fieri?

Prohibitum est. Quia textus ille absolute de iuramento loquitur, quod vocabulum omne iuramentum includit. Si autem iuramentum extraiudiciale licitam esse vellet, proculdubio exprimeret. Sic Abbas ad cap. de feriis, n. 8. & cap. ultim. num. 17.

Prohibitum non est. Quia in præfatis Casibus solum prohibetur iuramentum iudiciale, non verò extraiudiciale; alias enim omne iuramentum aliquin licitum ex obiecto, ex fine, & ex aliis circumstantiis, ex eo solum, quod in festo fieret, esset speciale peccatum: quod videtur absurdum, & contra omnem usum, ac sensum Ecclesiæ. Ita Caiet. 2. 1. q. 122. a. 4. Bonac. tom. 2. d. 5. quest. vii. punct. 2. num. 10. Sanchez tom. 2. Confil. lib. 5. cap. 2. dub. 30. num. 1. & alij penes ipsum.

Ego autem existimo, nec omnia iuramenta quomodocumque extra iudicium facta esse iure prohibita, vt probat apprimè Caietani ratio: neque sola iuramenta iudicialia solennia, seu quæ in iudicio præstantur interdici: nam præter hæc prohibentur etiam iuramenta quibus pacta, aut contractus, qui inter homines fieri assolent, firmantur, & præsertim illa, quæ fieri in festo prohibentur nomine Mercatus. Quia hæc iuramenta etiam intelliguntur prohibita in præfatis iuribus. Reliqua autem iuramenta minime prohibentur. Palao tom. 2. tract. 9. d. 2. punct. 8. num. 7. Filliac. 27. num. 201. & 202. Diana pun. 1. tract. 1. resol. 34. & Leand. de præc. Eccl. d. q. 28. eundem sunt mentis.

## PROBL. LXI.

*Iuramentum pro causa spiritali est, & non est in die festo licitum, & validum.*

Licitum, & validum est in causis spiritalibus vt sunt matrimoniales. Quia de solis Licitum & validum est. Causis temporalibus intelligitur prohibitio iuramenti præscripta in cap. 1. de feriis. Sic Caiet. 2. 1. quest. 122. art. 4. Sanchez 10. 1. Confil. l. 5. cap. 2. dub. 30. num. 2. citans D. Thomam, & Sotum. Inclinare videtur Trull. citans.

Nec licitum, nec validum est. Quia prohibitio iuramenti indicta c. 1. de feriis est generalis, & ad omnia iudicia, ac causas forenses extenditur: Tam ergo temporales, quam spirituales complectitur, cum etiam hæc forenses sint. Ita Suar. 10. 1. de Relig. l. 2. cap. 30. mon. 8. Trull. l. 3. Decal. cap. 1. dub. 9. num. 14. licet contrarium videatur asserere num. 6. Fagund. de præc. Eccl. lib. 1. cap. 13. numer. 18. 29. & 30. Bonac. tom. 2. d. 5. quest. vii. punct. 2. num. 21. Palao tom. 2. tract. 9. d. 2. punct. 7. n. 7. & 9.

Recolo verba cap. 1. de feriis. ibi: Nec placitum fiat, nec aliquis ad mortem, vel penam in dicitur, nec Sacramenta (id est iuramenta) prestantur. Vbi videtur præscribi iuramenta solum præstari non posse in causis temporalibus mortis, & pænæ. Verù si ita esset, exponendū caput, lequeretur solū iuramenta, ac actus iudiciales.



## Se& II. De Præcepto III. Problemata. 221

ciales prohiberi in causis criminalibus mortis, ac pœnæ, non autem in aliis temporalibus: quod minime dicendum, nec Caietanus, ausus est affirmare. Præterea illa verba, *Nec placitum fiat*, satis ostendunt, intentionem Pontificis fuisse omnes causas forenses tam temporales, quam spirituales comprehendere; placitum enim in iure Canonico iudicium significat & temporale & spirituale. Vnde existimo longe probabilius, prohibitionem in eo cap. 1. de feriis factam generalem esse ad omnia iudicia, & causas forenses spirituales, ac temporales: & exceptionem, quæ allegatur à Sanchez D. Thomæ, *Nisi forte in magna necessitate*, tam procedere in causis spiritualibus, quam temporalibus, in quibus, si hæc necessitas occurrat, licitum erit ipsum iudicium, & iuramentum in festo. Quia id statim excipitur in eodem capite, Nisi pro pace, aut alia necessitate. De quo inferius.

### PROBL. LXII.

*Sententia criminalis lata in die non festo, potest, & non potest in die festo executioni dari.*

243 **P**otest quidem. Quia cap. ult. de feriis, solum prohibentur in festo fieri iudicialis strepitus, & actus forenses: Sed executio sententiæ est actus extra iudicialis: Ergo in festo non est prohibita. Sic Abbas ad illud cap. & ad cap. ult. de iud. num. 22. Tabie. v. Feria, num. 2.

244 **M**inimè potest. Quia executio sententiæ sub strepitu contentiosi iudicii continetur, ut aperte significatur in l. vi. in die C. de feriis, nam strepitus iudicialis (ut dicitur cap. ult. de feriis) est ille, in quo iurgia, & quæstiones, ac perturbationes excitantur: In executione autem sententiæ maior solet esse perturbatio, & maiores quæstiones, iurgique excitari, ut experientia docet, quam in sententiæ probatione: & tamen probatio prohibetur, & irritatur: Ergo & executio. Ita Felin. ad cap. ult. de iudic. num. 13. Suar. tom. 1. de Relig. l. 2. cap. 30. n. 11. Fagund. de præc. Eccl. l. 1. cap. 13. num. 23. Bonac. tom. 2. d. 5. quæst. vii. punct. 2. n. 22. Trull. l. 3. Decal. cap. 1. dub. 9. num. 17. Qui limitant, nisi sententiæ virgeret executio.

245 **H**æc sententiæ mihi probabilior videtur. Nam re vera nullibi, uti experientia compertum est, sit maior strepitus, quam in sententiæ executione. Nec dici potest ille actus extra iudicialis, cum sit ultima iudicii executio, & ad illud pertineat, imò sit præcipuus actus finis, ad quem totum iudicium ordinatur.

### PROBL. LXIII.

*Sententia excommunicationis, suspensionis, & interdicti valida est, & non est valida lata in diebus festis.*

246 **I**licita, & invalida est. Quia l. ult. de c. feriis, mandatur, ut omnes vox Iudicis his diebus *Esco. & Menâ. Theol. Moral. Tom. IV.*

sileat: Sed non silet, cum huiusmodi sententiam profert, sed potius amare loquitur: Ergo id nec licitè nec valide gerere potest. Sic Anton. Butrio in c. ult. de feriis, & alij.

247 **L**icita est & valida. Quia sententiæ hæc non est talis conditionis, quæ causæ cognitionem requirat, sed est præceptum aut lex has pœnas imponens. Qui enim excommunicat, suspendit, aut interdicat, non indicat delicta, sed delinquentem à delicto intendit removere. Ità Bonac. tom. 2. d. 5. quæst. vii. punct. 2. n. 12. Palao tom. 2. tr. 9. d. 2. punct. 7. n. 11. Fagund. de præc. Eccl. l. 1. c. 13. n. 21. Caiet. 2. 2. q. 122. a. 4. Maranta p. 6. de ordin. iudic. tit. Actorum editio, n. 47. Suar. tom. 1. de Relig. l. 2. c. 30. num. 9.

248 **H**oc mordicus teneo. Quia censoriæ hæc non sunt pœnæ pœnitentiæ, sed medicinales, & in animæ bonum ordinatæ: Ergo non prohibentur. Neque iudicio textum in l. ult. nobis esse contrarium: Si quidem ibi mandatur, ut omnis vox Iudicis sileat, quæ strepitum iudicalem expostulet, & quæ propriè sit vox Iudicis iudicantis, non superioris medicamen adhibentis.

### PROBL. LXIV.

*Appellatio est, & non est licita, aut valida in die festo.*

249 **N**ec licita nec valida est. Quia appellatio iudicialis est pars processus: Sed processus habitus die festo illicitus & invalidus est: Ergo nec appellatio licita, aut valida erit. Et quia pertinet ad strepitum iudicii, cum suspendat iurisdictionem in iudice à quo, & firmet in Iudice ad quem. Et quia prosequi appellationem in die festo illicitum est ex l. 1. C. de feriis. Etgò à fortiori illam statuere. Sic Suar. tom. 1. de Relig. l. 2. cap. 30. num. 13. Reginald l. 19. num. 43. Qui quidem licet ad dubitando in contrarium inclinare videantur, non autem audent confutellere; nam rationum efficacia ita eos afficit, ut absolute dici possint huic sententiæ adhærere.

250 **L**icita est, & valida. Quia appellatio non est actus iudicialis, non enim est iurisdictionis exercitium, cum nullo modo à Iudice prononiat, sed à parte. Et quia esto actus sit iudicialis, est actus propriam personam defendens: sed defensio propria iure naturæ quolibet die conceditur: Ergo & appellatio. Et quia in l. 1. C. de feriis conceditur tam in feriis repentinis, quam in solemnibus appellatio; quæ lex, sicut & alie, quæ de hac ratione loquuntur à Iure Canonico est approbata. Ità Gloss. ad cap. ult. de feriis. ubi Abbas n. 12. Felin. col. 5. Caiet. 2. 2. q. 122. a. 4. Fagund. de præc. Eccl. l. 1. c. 13. n. 24. Palao tom. 2. tr. 9. d. 2. punct. 7. num. 14. Bonac. tom. 2. d. 5. quæst. vii. punct. 2. n. 22. 13. & alij.

251 **S**i rationi esset hærendum, fateor, probabilius mihi videri, appellationem in die festo interponi non posse. At qui communis sententia contrarium affirmant, ei hærendum, ad iudicavi. Quia ex annulatione & prohibitione processuum non omnes illius partes annullari, ac prohiberi putarim, (ut rationes primæ sententiæ informem) sed eam solum partem, quæ Iudicis imbibit Authoritatem. Nec appellatio pertinet ad strepitum iudicalem, & quia sine strepitu fit, & quia



quia est propria defensio. Concedo quidem prosecutionem appellationis fieri non posse, quia hæc sine iudiciali strepitu geri nequit: locus vero appellationem.

## PROBL. LXV.

*Iudex licet potest, & non potest actus iurisdictionis voluntariæ exercere.*

252  
Validi sunt,  
non autem  
liciti.

**L**icet sint validi actus voluntariæ iurisdictionis, non autem sunt liciti, si absque speciali necessitate fiant. Quia videtur lodi festi immunitas, cum vel iurisdictionis voluntariæ actiones iudiciale subleant apparatus. Sic Abbas ad c. ult. de feriis. San. h. 10. 1. Confl. c. 1. dub. 27. n. 2. citans Sylvestrum, & Angelum.

253  
Liciti sunt,  
& validi.

Non solum validè, sed & licet potest Iudex in die festo actus voluntariæ iurisdictionis exercere: v. gr. dispensare, indulgentias, ac privilegia concedere, providere Beneficia, adoptare, libertatem servis concedere, tutores pupillorum constituere, testamenta conficere, &c. Quia ut constat ex c. ult. de feriis solum prohibentur in festis iudiciales strepitus, & quæ ad illos spectant: At ea, quæ sunt iurisdictionis voluntariæ, non fiunt cum iudiciali strepitu, ut constat: Ergo possunt licet exerceri. Ita Suar. 10. 1. de Relig. l. 1. c. 30. num. 9. citans Hostiensem, Ioan. Andream, Speculatorem, Sylvest. & Maranta, quos refert, ac sequitur Fagund. de praecept. Eccl. c. 13. n. 14. Villalob. 10. 2. tr. 32. diff. 3. n. 4. Azor. 10. 2. l. 1. c. 27. q. 12. Trull. l. 3. Decal. cap. 1. dub. 9. n. 3. & 4. Bonac. 10. 2. d. 5. q. vii. pun. 2. n. 12. Leand. de praecept. Eccl. tr. 1. d. 5. q. 8. & alij.

454  
Hoc fere cer-  
tum puto.

Hoc fere certum esse existimo non solum propter tot Doctorum auctoritatem, sed quia in l. Actus, C. de feriis, aperte concedit in festis, emancipare, manumittere, & alia, quæ causæ cognitionem non requirunt.

## PROBL. LXVI.

*Confessio rei cuiuscunque potest, & non potest validè, ac licet in die festo recipi.*

255  
Potest plane.

**P**otest equidem. Quia confessio rei supponit iudicalem strepitum præcessisse, sed ipsius receptio sine strepitu illo iudiciali recipitur. Sic Bald. & Innocent. quos citat, & sequitur Maranta p. 6. ordi. iudic. tit. Actio-rem editio, n. 44.

256  
Non potest.

Nec licet nec validè recipi potest. Quia expresse in c. 1. de feriis cauetur, ibi: In festis nec placitum fiat, nec ad mortem, vel ad poenam iudicetur, nec Sacramenta (id est iuramenta) præstentur. Ergo nec valida, nec licita est in festo huiusmodi confessio, pertinet enim directe ad placitum, quod prohibitum est, & invalidum: confessio enim rei est processus continuatio, & ad sententiam proxima ac necessaria dispositio. Ita Fagund. de praecept. Eccl. l. 1. cap. 13. numer. 18.

Longè probabilius existimo confessionis rei receptionem illicitam, & invalidam esse, Longè hoc nisi in causis Fidei, & nisi statim puniendi reum vergeat necessitas. In causis inquam Fidei domini Inquisitores possunt validè & licet non solum rei confessionem recipere, sed & sententiam contra hæreticos die festo ferre. Quia præterquam quod id vltus comprobatur, hæc sententia, aut iudicium pertinet ad Religionem, & pietatem, qua interueniente, potest in die festo id munus exerceri. Præterea quia causæ Fidei hoc & aliis privilegiis fruuntur. Demum quia huiusmodi iudicium in diebus festis geri solet, ut maior fiat populi concursus, quod necessarium admodum iudicatur, ad maiorem instructionem morum, illiusque iudicii auguli terrorem.

## PROBL. LXVII.

*Actus extraiudiciales sunt, & non sunt in die festo prohibiti.*

**P**rohibiti sunt. Quia Notariis prohibitum est in die festo scribere actus iudiciales, & eos dare transcribendos aliis: sed huiusmodi transcriptio saltem non est actus iudicialis, sed extraiudicialis: Ergo non potest actus extraiudicialis in festo die geri. Sic Tolet. libr. 4. cap. 24. num. 10. Eius verba perpende: Non licet Notariis scribere, nec ipsi transcribere, scriptoribus. In quo maxime apparet Notariorum peccatum, qui servant pro festis implere charitas, quas reliquis diebus in breui notant. Quis autem abneget, hunc actum esse extraiudicalem?

Non sunt prohibiti. Quia in iure solum prohibetur iudicialis strepitus, & processus formatio usque ad sententiam: At actus extraiudicialis fit sine iudiciali strepitu: Ergo non est prohibitus. Ita Suar. tom. 1. de Relig. libro 2. capite 30. numero 11. citans Abbatem, Ioan. Andream, Hostiensem, Speculatorem, Bonacin. tom. 2. d. 5. quest. vii. puncto 2. numero 12. Trull. libro 2. Decalog. cap. 1. dub. 9. num. 4. Sayr. in Clau. libr. 7. cap. 2. num. 15.

Communis quidem, ac certa sententia est, actus extraiudiciales non esse in die festo prohibitos, præcisa alia circumstantia, nam sine iudiciali geruntur strepitu. Unde à mortali excusari posse, Tolet. venia, reor Notarios, & Officiales Curie qui domi privatim transcribunt: nam hi actus non dicuntur geri cum strepitu iudicij.

\*\*\*



# Secl. II. De Præcepto II. Problemata. 223

## PROBL. LXVIII.

*Advocato, ac Procuratori licitum est, & non est die festo iudicem verbo aut scripto super litem informare, si id fiat ob lucrum.*

261 Non licet, si id principaliter ob lucrum geratur: secus si ob pietatem. Quia præter quam quod actus iudicialis videtur esse, etiam subolet servitutem. Sic Sylvest. v. Dominica, q. 5. dicto 3. Margari. Confes. præc. 1. fol. 72.

262 Licet omnino. Quia actus hic nec iudicialis, nec servilis est: Ergo nullo est iure prohibitus. Antecedens patet: neque enim est actus iudicialis, cum nullo iudiciali strepitu fiat nec servilis, cum scribere etiam ob lucrum in die festo actus servilis non sit, ut superius probavimus: Ergo id nullo ex capite erit prohibitum. Ita Filliuc. 17. 27. n. 200. Trull. l. 3. Decal. c. 1. dub. 9. n. 4. Sanch. 10. 2. Confes. l. 5. c. 2. dub. 28. citans Toletum, & Ludou. Lopez. Navar. sum. c. 13. n. 12. Caiet. 2. 2. q. 122. a. 4. Fagund. de præc. Eccl. l. 1. c. 13. n. 25.

263 Hoc omnino licitum esse reor. Quia pro lucro fieri nihil servitutis addicit actui, qui ex se servilis non est. Adde, id ex usu constare. Nam ut Caietanus annotat in Romana Curia Iudices assolent semper Dominicis, ac festis aliis informari diebus, quando causa est in Rota proponenda. Ad cuius exemplum id potest, & id solet ubique fidelium tribunalis exerceri.

## PROBL. LXIX.

*Quodlibet lethale peccatum lethale est, & non est specialiter in die festo prohibitum.*

264 Quodlibet lethale crimen ita specialiter est prohibitum in die festo, ut illud perpetrans, necessario teneatur circumstantiam diei festi in Confessione explicare. Quia peccatum contrariatur obseruantia festi, quatenus impedit hominis applicationem ad diuinam; magis enim impeditur homo à rebus diuinis per peccatum, quam per opus seruile. Et quia c. Consideret, de penit. dist. 5. dicitur, circumstantiam temporis in Confessione explicandam, si commissum fuit peccatum tempore orationi constituto, aut in festiuitate Sanctorum, aut in ieiunij tempore, Clarius c. 1. de feriis, dicitur Omnes dies Dominicos à vespere in vespere cum omni ueneratione decernimus obseruari, & ab omni illicito opere abstinere. Neque deest pro hac sententia ratio: Quia festum institutum est, ad colendum Deum: cuius cultui peccatum maxime contrariatur. Certè negari non potest, specialem repugnantiam cum ratione habere, ut tempus destinatum ad Deum laudandum in peccatis infumam: At quod rationi repugnat, peccatum est: Ergo speciale crimen est, quod die festo committitur. Sic Medina de orat. q. 10. & 19. Corduba qq. l. 1. q. 6. referens plures Doctores, Et videtur esse aperta D. Tho. senten-

tia, 2. 2. quæst. 121. art. 4. ad 1.

Nullum peccatum est specialiter in die festo prohibitum hoc præcepto, nec necessario in Confessione manifestandum ex festi circumstantia. Quia materia huius præcepti, vel quod in hoc præcepto imperatur est cessatio ab opere seruilis: sed peccatum ex se non est opus seruile: nam de se non est opus mechanicum, & manuale: alias peccatum internum dici posset seruile opus, quod autem peccator per crimen seruis diaboli efficitur, de quo 2. Petri: illa est seruitus metaphorica. Ità Navar. ad c. consideret, de penit. dist. 5. n. 12. Couar. ad c. Alma mater, 1. p. 5. l. n. 3. & l. 4. variat. c. 19. Gutier. l. 1. qq. Canon. c. 31. n. 9. Suar. to. 1. de Relig. l. 2. c. 18. n. 3. Azor. p. 2. l. 1. cap. 28. q. 10. Palao tom. 2. 17. 9. d. 2. pun. 9. n. 3. Bonac. to. 2. d. 5. q. vni. pun. 2. in princ. & alij communiter.

Sententia hæc hisce temporibus communior est amplectenda. Quia cultus, qui hoc præcepto indicitur est sola Missæ auditio, & ab opere seruilis cessatio: sed per quodlibet peccatum non impeditur Missæ auditio, neque ab opere seruilis cessatio: Ergo quodlibet peccatum non est cultui diuino mandato contrarium. Ergo cum hoc præcepto non pugnat. Fateor contrarium esse peccatum fini huius præcepti, qui est Deo vacare, & totum illum diem in ipsius honorem transigere, cui fini quolibet actio peccaminosa opponitur. At cum finis præcepti sub præceptum non cadat, (ut est recepta omnium sententia, efficitur quidem, peccatum non cadere sub hoc præcepto obseruandi festa: quia non cadit sub auditione Missæ, nec sub cessatione ab opere seruilis.

## PROBL. LXX.

*Delinquens in die festo perpetrat, & non perpetrat culpam venialem contra Religionem.*

Perpetrat quidem saltem venialem culpam. Quia dies festus sanctificatus est, & consecratus ab Ecclesia in diuinum cultum: Ergo quodammodo polluitur, & violatur peccaminosa actione: sicut aliis peccatis patris in Templo, Templum Dei violatur. Sic Caiet. sum. v. Dies festus. Armil. lib. 1. num. 23. Suar. to. 1. de Relig. lib. 2. cap. 18. num. 16.

Nullam culpam contra Religionem committit. Quia non potest esse contra Religionem peccatum, nisi ex ipsamet Religione prohibetur: At ex Religione seruandi festa non prohibetur peccatum, quatenus peccatum est, sed solum opus seruile: Ergo peccatum quatenus tale non est contra festi Religionem. Certè si contra Religionem peccaret, qui die festo furtum committeret, posset tanta esse facti grauitas, ut merito peccatum mortale contra Religionem fieret. Ità Palao tom. 2. tract. 9. d. 2. pun. 9. num. 3.

Ei lubens ad hæreo iudicans hunc communiter esse Doctorum sensu. Existimo tamen intra eandem speciem grauius delinquere, qui die festo, quam qui in profesto peccat. Quia hæc grauitas ex multis capitibus confluit tum ex qualitate personæ, tum ex cognitione beneficiorum, tum ex circumstantia loci, tum temporis, &c.

T 4 CAPVT



## CAPVT IX.

*Circa causas à precepto Observationis  
Festorum excusantes.*

## PROBL. LXXI.

*A mortali excusatur, & non excusatur, qui  
tertiā partem diei festi seu per octo  
horarum spatium seruiliter  
laborat.*

270  
Excusatur.



UPERIUS de paruitate materiae, quæ inter causas excusantes ab huius præcepti obseruatione in primis apponitur, meminime disseruisse. At quia huius materiae leuitas graues affollet licentias haud tolerandas ingerere operæ prætium duxi quæ pressius dixi vberius enodare. Et primo quaesierim, num à mortali excusetur, qui per diei festi tertiam partem, seu per octo horarum spatium seruili operi incumbit: Excusatur quidem. Quia tertia pars diei non est pars notabilis respectu diei totius. Sic nonnulli Canonistæ, quos prefato nomine refert Fagund. de præc. Eccl. lib. 1. cap. 14. num. 2.

271  
Minime excusatur.

Minimè excusatur. Quia octo horarum spatium esse admodum notabile constat à simili. Qui in festo tertiam Missæ partem omittit mortaliter peccat in omnium sententia. Qui tertiam partem Officii diuini non recitat, lethaliter delinquit ex omnium consensu: eo quod partem notabilem omittit: Ergo similiter reus erit lethalis culpæ, qui tertiam diei partem seruili operi dederit operam. Ita Fagund. citatus Pasqualig. decis. 300. num. 8. Suar. tom. 1. de Relig. libr. 2. cap. 31. numer. 2. & omnes Doctores.

272  
Primam sententiam falsam plane reiecto.

Profecto primam sententiam adstruentes nulla probabili ratione nituntur: vnde omnino reiiciendam censeo. Nam ex ea sequeretur, posse quem hieme per totum integrum diem absque peccato graui seruili operi incumbere computatis horis à manè vsque ad vesperam: Quinam hoc non iracundia pia affectus repellat absurdum?

## PROBL. LXXII.

*Excusatur, & non excusatur à mortali, qui  
tertiā partem diei festi insumit in ser-  
uili opere: sumptam duntaxat de eo  
tempore, quod regulariter seruili in ope-  
re assolent artifices insumere.*

273  
Excusatur.

Excusatur. Quia illa censenda est parua materia, quæ insumpta in opere seruili, non tollit, quin dies censeatur moraliter sanctificatus, quoad cessationem ab opere seruili

Sed si tertia pars horarum, quæ plerumque in opere seruili impenduntur, quis in labore assumat, adhuc censetur dies moraliter sanctificatus consecratus Deo, cum fiat cessatio à seruili opere per plurius horarum spatium. Ergo censenda est tertia hæc pars parua respectu totius diei, & qui eam in seruili labore absumperit, à peccato mortali excusabitur. Sic Pasqualig. decis. 300. à num. 6.

Non excusatur. Quia si aliquid valet argumentum non solum eo probat Pasqualig. suam sententiam, sed etiā illam Canonistarum, quam Probl. 71. reieci; asserentium, mortale non esse in die festo tertiam eius partem in labore seruili consumere: nam etiam fieret cessatio ab opere seruili per duas diei partes, & moraliter posset dici diem festum esse sanctificatum: At hoc non audeat Doctor ille concedere: Ergo nec suam sententiam potest adstruere. Ita communiter omnes Doctores. Legendus Leand. de præc. Eccl. tract. 1. d. 6. q. 4.

Etiā existimo sententiam primam esse repellendam, vt quæ nimium violatorum diei festi laxat habenas. Nam ex ea sequeretur posse quoscumque artifices per sex horas ad minus in die festo laborare. Ex viginti quatuor diei horis ad prandium & somnum sex regulariter aptantur, decem & octo labori impenduntur, quarum tertia pars sex horæ erunt. An non id cordato cuique absurdum videbitur?

## PROBL. LXXIII.

*Excusatur, & non excusatur à mortali,  
qui in die festo trium horarum spa-  
tium operi dat seruili.*

LEthali is excusatur à criminine. Quia spatium trium horarum parua est materia, cum sit octaua diei pars. Sic Marchant. Pa. or. 99. cap. 3. quest. 2. & à fortiori Pasqualig. decis. 300. à num. 6.

Minimè excusatur. Quia trium horarum spatium notabilis est materia adhuc totius diei respectu. Ita Doctores communiter. Palaut. tom. 2. tr. 9. d. 2. punct. 3. num. 4. Fagund. de præc. Eccl. lib. 1. cap. 14. num. 2. Suar. tom. 1. de Relig. cap. 31. num. 2.

Nullatenus Marchantij sententiam admit- tam Quia non refert octauam esse diei partem, vt probetur paruum esse: quia adhuc est notabilis, sicut est octaua pars Officii Canonici, quam in communi sententia qui omittit, mortaliter peccat.

## PROBL. LXXIV.

*Mortalis criminis reus est, & non est, qui  
duas integras horas diei festi in opere  
seruili consumit.*

REus quidem est. Quia excessus vltra vnius horæ spatium grauis censendus contra diei festi sanctitatem. Et certè duarum horarum tempus seruili operi impensum grauem admodum



## Secl. II. De Precepto III. Problemata. 225

admodum irreuerentiam constituit. Sic Bonae. tom. 2. d. 5. quæst. vni. punct. 3. num. 2. Villalob. tom. 1. tract. 3. d. 2. diff. 4. num. 1. Reginald. l. 19. num. 53. & alij existimantes eam, qui die festo per spatium vnius horæ integræ, aut circiter horæ laborat, à lethali non excusari. Fagund. autem de præc. Eccl. l. 2. cap. 14. n. 2. Suar. tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 31. num. 2. asserentes, licet laborare per horam integram non sit lethale, laborare vero excedendo horam per quadrantem, mortale proculdubio esse. Trull. lib. 1. Decal. cap. 1. dub. 10. num. 2. Filliuc. tract. 17. num. 205. Sanch. tom. 2. Conf. lib. 5. cap. 2. dub. 31. num. 4. & alij docentes, etsi non sit lethale, laborare minus quam duas horas, tamen lethale esse duas horas integras operi seruii impendere.

Non est lethalis criminis reus, qui spatium duarum horarum die festo laborat, dummodo illas non excedat. Quia spatium hoc respectu diei totius parua quidem est quantitas, cum tantum sit duodecima pars. Ita Diana part. 1. tract. 15. resol. 36. Granado 2. 2. conu. 6. tract. 2. d. 2. sect. 6. num. 54. Ioan. Henric. sum. cap. 7. num. 4. Leand. de præc. Eccl. tract. 1. d. 6. quæst. 6. Bassæus v. Festum. 3. n. 4. & alij, quos superius citauimus, cum hanc materiam leui calamo euolui.

His rursus adhareo. Quia paruitas materiz excusans à mortali non absolute & secundum se, sed respectiue ad totam materiam præcepti est spectanda, vt Sanch. docet l. 1. sum. cap. 4. num. 18. At spatium duarum horarum, licet consideratum secundum se tempus notabile videatur: non tamen videtur respectiue, & in ordine ad totam materiam præcepti vnius diei: Ergo qui per duas horas operam seruii ministerio exhiberet, ratione paruitatis materiz, lethaler non delinqueret.

### PROBL. LXXV.

*A mortali excusatur, & non excusatur, qui diebus festis pluribus modico tempore laborat.*

282 *Curiam suppono.* Certum est, à mortali non excusari, qui opera seruilia pluribus vicibus, sed singulis modico tempore in die festo exercet. Quia illa seruilia opera quamuis disiancta quoad tempus in contrarietate ad præceptum continuantur, & sic aliquid notabile contra ipsum constituunt. Nam obligatio abstinendi à seruilii opere, est vna, & eadem, quæ durat tota die: Vnde quodlibet seruilis opus est contra ipsam, ideoque omnia communicant in eadem contrarietate, & sunt quid notabile contra præceptum, Sanch. l. 1. sum. capit. 4. num. 12. Trull. l. 3. Decal. cap. 1. dub. 10. n. 3. Nauar. sum. cap. 11. num. 9. Quæserim verò an à mortali excusetur, qui in pluribus diebus festis pro modico tempore laborat, ita vt quatuor aut quinque dierum quantitas laboris grauem constituat duarum horarum (v. g.) materiam.

283 *Non excusatur.* Non excusatur à mortali. Quia etiam in hoc casu datur continuatio materiz sicut datur in casu, quem vt cetum supposui. Sic Tolet. libr.

4 sum. cap. 25. num. 1. Fagund. de præc. Eccl. lib. 1. cap. 14. num. 3. Azor. tom. 2. lib. 1. cap. 28. quæstion. 5.

Excusatur omnino. Quia illa opera seruilia modica singulis diebus festis exercita minime continuantur, nec in tempore vt per se patet, nec in materia. Ita Sanch. lib. 1. sum. cap. 4. num. 12. Bassæus verb. Festum 3. num. 4. Bonacin. tom. 2. d. 5. quæst. vni. punct. 3. num. 3. Pasqualig. decis. 304. num. 2. Diana part. 3. tract. 5. resol. 8. Trull. lib. 3. Decalog. cap. 1. dub. 10. num. 3. Machado, & Ouedo, quos citat, ac sequitur Leander de præc. Eccl. tract. 1. d. 6. quæst. 8.

Longè probabilior hanc sententiam esse crediderim. Verum enim existimo eius fundamentum, scilicet opera illa exigua minime continuari. Quia opus seruilis vna die factum sequitur obligationem diei, quæ non est vna omnium dierum, sed cuiuscumque diei peculiaris, quæ consequenter cum ipsa die extinguitur, nec ad aliam transit: Ergo cum obligationes non continuantur, ita nec opera seruilia possunt continuari. Quemadmodum qui ex Officio Canonico quatuor aut quinque continuatis diebus exiguum omitteret quantitatem, quæ grauem omissionem efformaret, non violaret grauer præceptum; quia quantitates illæ nullatenus vniuntur, cum obligatio recitandi sit omnis diei. Idem in præcepto ieiunij habes exemplum.

### PROBL. LXXVI.

*A peccato excusantur, & non excusantur, qui in die festo preparant cibos qui potius ad delectationem, quam ad sustentationem necessariam exponuntur.*

Certum est, excusare à violatione festi necessitatem. Quia lex non obligat, necessitate vigente. Vnde excusantur Artifices, & pauperes, qui nisi in festis laborent, nequeunt se, ac familiam sufficienter alere, aut statum sine quo litione conseruare. Et qui laborat, vt non seponat filie dotem, quam seponere nequit, nisi subtrahendo familie necessaria. Graf. part. 1. decis. lib. 2. cap. 35. num. 46. Et si in familias, quæ pro acquirenda suppellectile, quæ solet pro dote dari, in die festo laborat, si aliunde acquirere non potest. Pasqualig. decis. 196. numer. 6. Et seruæ, quæ in resarciendis propriis vestibus laborant, si in diebus profestis nihil temporis ad id eis concedatur. Layman. lib. 4. tract. 7. cap. 4. num. 1. Et qui ad victum necessaria preparant. Quæstioni autem do, num excusentur, qui cibos præparant non necessitati, sed voluptati deferuientes?

Excusantur profecto, qui deferuntia ad cibum ac potum licet superflua sint, præparant. Quia consuetudine hoc iam est introductum. Ita Palaus tom. 2. tract. 9. d. 1. punct. 1. num. 3. ex D. Thoma 1. 2. quæst. 122. art. 4. ad 4. ab omnibus recepto.

Minimè excusantur. Quia ea, quæ magis ad electionem quam ad sustentationem deferunt, non pertinent ad necessitatem, ex qua artifices debent excusari. Vnde peccatum lethale est, die festo, nota illi temporis spatio absumpto.



absumpto, ea quæ secharo conficiuntur, verbi gratia (vbi vulgariter exponam) *Mazapanes, alcorzas, confites*, licet gratis id fiat. Quia opus semile est sine necessitate perfectum. Ita Sanch. tom. 2. *Consil. libr. 5. cap. 2. dub. 18. num. 5.* Alcorzer. *sum. cap. 17. & docti Recentiores.*

289  
Auctor re-  
solutio.

Ego quidem iudicari ex se illicitum esse cibos, aut potum seruientem voluptati, ac non simul necessitati preparare, & iuxta temporis insumpti quantitatem mortale vel veniale esse piaculum. Nisi tamen alicubi consuetudo recepta excuset, semper autem excusari, vel à veniali dixerim Principum coquos, quamvis cibos ad voluptatem agnatos perficiant. Principum namque ac diuitum necessitas, & voluptas pat. gressu incedere assolent.

## PROBL. LXXVII.

*Violant, & non violant festi immunitatem, qui absque necessitate panes conficiunt, & coquunt.*

290  
Violant festum.

Violant planè, nisi casu, quo pridie id commode gerere nequierint, aut superueniat aliqua necessitas, superueniente hominum multitudine. Quia sola hoc ex capite debet necessitas excusare, communiter verò non vrget necessitas. Sic Azot *part. 2. libr. 1. cap. 27. quest. 2.* Caiet. *verb. Festorum violatio.* Sanch. tom. 2. *Consil. libr. 5. cap. 2. dub. 28. num. 4.* Sotus libr. 2. *de iust. quest. 4. art. 4.* Bonac. tom. 2. *d. 5. quest. vni. pun. 3. num. 9.* Palaus tom. 2. *tract. 9. d. 2. punct. 10. num. 3.* Trull. libr. 3. *Decalog. cap. 1. dub. 10. num. 8.* Lublin. *verb. Festum, num. 4.* Villalob. tom. 2. *tractat. 32. diff. 4. num. 2.*

291  
Non violant.

Non violant. Quia eos excusat Reipublicæ quotidiana necessitas: & si omnes ferè concedunt, carnes coquentes, artocreas conficientes, &c. excusari ob necessitatem: cur non excusabuntur qui panes conficiunt, ac coquunt, siquidem inter ea, quæ ad victum pertinent, primum locum panis obtineat? Ita Sa. *verb. Festum, num. 5.* facis: Nundinas excusat consuetudo, pastores necessitas. Pasqualig. *decis. 293. num. 2.* Leand. *de præc. Eccles. tract. 1. d. 6. quest. 19.* Ortiz *sum. de præc. 3. fol. 202.*

292  
Auctor re-  
solutio.

Si rationem spectem, primam sententiam probabiliorē esse reor. Nam si commodè possint pridie confici panes, die festo communiter non affolet necessitas virgere. At probabilem satis esse existimo secundam. Quia si licitum est, panes conficere in die festo multitudine hominum superueniente, quod quidem repente solè accidere, non aprè repente panes preparantur, & idè in Urbibus speciatim iudico panes posse preparari. Si autem consuetudinem spectem, video pluribus in locis id sine scrupulo, & sine Prælatorum contradictione geri. Porro si plures dies festi concurrant, minimè dubitarem asserere, posse confici, & coqui panes. Quia licet panis coctus esset sufficiens non satis aptus vsui exponeretur.

\*\*\*

## PROBL. LXXVIII.

*Excusantur, & non excusantur agricola, qui messis, ac vindemie tempora in festo laborant, quamvis nullum certum damnum imminere videatur.*

293  
Excusantur.

Excusantur quidem, Quia regulariter eo tempore datur sufficiens causa ex necessitate: cum repente soleant immutari tempora, & vix vlla possit firma securitas haberi. Sic Sanch. tom. 2. *Consil. libr. 5. cap. 2. dub. 18. num. 10.* & 11. Sotus l. 2. *de iust. quest. 4. art. 4. ad 3.* Toler. libr. 4. *cap. 25. num. 4.* Lublin. *verb. Festum, numer. 4.*

Non excusantur. Quia tam messis, quam vindemie tēpore cōsideranda est qualitas Regionis, & temporis, comoditas, vel incommoditas fructus reconcendi, quantitasque messis ac vindemie. Nam si regio sit regulariter illo tēpore à pluuiis exempta, & serenitas tunc regnaret, & messis pancorum esset diuturni, non adesset necessitas laborandi in die festo. Vnde regulariter virgere hoc tempore necessitatem, verum non est. Ita Pasqualig. *decis. 297. num. 5.* contra P. Castro Palao argumentatur.

Ego autem non temens docti Pasqualig. sententiam dixerim, si aliqua regio deur adeo à tempestatibus ac pluuiis exempta, vt prudenter damnum obuenturum non timeatur, licitum non esse festis diebus hisce operibus incumbere: in regionibus autem, vbi regulariter solent his temporibus tempestates, vberes ingruere pluuiæ, licitum omninò esse sine dispensatione festis diebus laborare. Addiderim, in Hispania aut expressam aut tacitam adesse ad laborandum Prælatorum dispensationem: si quidem videntes & messis, & vindemie festis diebus feruere opera minimè contradicunt.

## PROBL. LXXIX.

*Excusantur, & non excusantur, qui decollationem ferri, aut vitri in die festo incipiunt.*

296  
Certum sit.

Certum existimo excusari coquentes pitrum, aut decolantes ferrum, si in festo inchoatum opus continent. Quia adest proculdubio necessitas ob imminens euidenter incommodum. Sanch. tom. 2. *Consil. libr. 5. cap. 18. num. 21.* Fagund. *de præc. Eccles. lib. 1. cap. 14. numer. 15.* Toler. libr. 4. *cap. 25. num. 3.* & omnes. Quæsierim autem, nūm hi artifices excusantur si ea opera die festo incipiunt?

Non excusantur. Quia licet continuari opus incertum possint ob damnum, quod in interruptione sequeretur, sed differre inchoationem operis poterunt sine damno: Ergo inchoantes in die festo rei erunt eius observationis. Sic Caiet. *sum. verb. Festi violatio.* Filliuc. *tract. 27. num. 211.* Sanch. citatus, & alij solum concedentes posse huiusmodi artifices in festo opera ferri aut vitri continuare.

Excusantur equidem. Quia si inceptio decollationis ferri, & vitri in sequentem diem pro festum differretur, licet posset forsam impleri plura opus antè diem festum sequentem: attamen fortasse



## Seç. II. De Præcepto III. Problemata. 227

fortasse non perficeretur eo die, quando altera materia esset coquenda: aut fornax frigeretur: aut continuandus esset ignis: quæ omnia essent hisce artificibus admodum noxia, cum maiores expensas exigent. Ità Leand. de præc. Eccles. tract. 1. d. 6. quæst. 27. Pasqualig. decis. 295. num. 3. citans Syluestrum Nauarrum, Fagundez Suarium. Sed eius venia, non iustè; nam Suarius, & Fagundez solummodo asserunt, opus posse continuari die festo.

299 **E**xistimo, hanc quæstionem ex facto, non ex iure pendere. Regula generalis est, quando inchoatio illius operis non potest differri ad diem profestum sequentem sine notabili personæ particularis, aut communitatis dispendio, potest die festo inchoari, sicut continuari licet: secus quando hæc necessitas non apparet. Quando verò hæc contingat, necne, ad artifices agnoscere spectat, quibus in hac materia credendum.

### PROBL. LXXX.

*Excusantur, & non excusantur, qui decoctionem calcis, saponis, laterum, tegularum, ollarum, & huiusmodi in festo continuant.*

300 **N**on excusantur. Quia eiusmodi decoctio sex diebus profestis aptè poterit terminari. Ergò si die primo non festo inchoetur, non urgebit necessitas continuandi in die festo opera: Ergò non licet in die festo continuari. Sic Sotus lib. 2. de iust. quæst. 4. art. 4. ad 3. Sanch. tom. 2. Confil. libr. 5. cap. 2. dub. 18. num. 21. Nisi aliàs occurrat necessitas aliqua priuata, vel publica. Citat Sanch. Nauarrum, & Caienum, eos artifices solummodo excusantes quando decoctio plusquam sex dies profestos exigat.

301 **E**xculantur omnino. Quia huiusmodi decoctio absque notabili damno intermitteri non potest. Ità Angel. verb. Feria, numer. 17. Bonacin. tom. 1. d. 5. quæst. vni. puncto 3. numer. 13. Pasqualig. decis. 295. num. 3. Leand. de præc. Eccles. tract. 1. d. 6. quæstion. 28. & alij communiter.

302 **E**iusdem sententia sum. Quia si necessarij sint dies sex ad decoctionem, verbi gratia frequenter necessarium erit die Dominico opus continuare. Nec enim obligari possunt artifices, ut die Lunæ opus instituant. Crediderim, à nullo Doctore posse affirmari artifices obligatos esse opus intermittere, cum absque graui incommodo differri nequeat. Imò crediderim, Doctores primam sententia citatos locutos non esse de operum huiusmodi continuatione, sed de inchoatione earum in die festo. De quo proximo Problem. dissero.

### PROBL. LXXXI.

*Ab Observatione excusantur, & non excusantur qui decoctionem calcis, saponis, laterum, tegularum, ollarum in die festo incipiunt.*

303 **E**xculantur quidem. Quia si probabilis est excusari à festi obseruatione qui in eo in-

choant opus decoctionis fieri, & effectiois vitri ob incommodum quod obdenire docet experimentum: eadem ratione excusabuntur, qui decoctionem calcis, saponis, &c. in die festo incipiunt. Sic Pasqualig. decis. 96. num. 3. citans Nauarrum, Syluestrum, Angelum, & alios, sed immerito, cum hi Doctores solummodo de operis continuatione loquantur.

304 **M**inimè excusantur. Quia huius materia decoctio non requirit tot dierum continuationem, sicut requirit vitri decoctio: Ergò facile potest in die profesto inchoari. Antecedens experimento patet, cum coctio calcis, aut lateris, &c. duobus, aut tribus diebus perficitur: vitri verò coctio per plures alios perficienda producit. Et quia in calcis, laterum, &c. decoctione necessum est ut intermissio fiat, & per aliquos dies fornax frigeat, ut sic opus extrahi valeat: quod quidem necessarium non est in vitri decoctione, imò non fieri est necessarium Ità Sotus lib. 2. de iust. quæst. 4. art. 4. ad 1. Sanch. tom. 2. Confil. libr. 5. cap. 2. dub. 18. num. 22. Leand. de præcept. Eccles. tract. 1. d. 6. quæst. 29.

305 **H**aud probabilem esse reor primam sententiam, falso enim fundamento nititur, nec protegit autoritas. Vnde dicendum censeo, minimè hosce artifices à lethali excusari illi opera in festo inchoantes, nisi aliqua grauis necessitas siue priuata, siue publica suadeat.

### PROBL. LXXXII.

*Excusantur à peccato famuli barbitonorum, qui à suis dominis laborare in festis compelluntur, si ipsi sint liberi.*

306 **R**ecolo ex sect. 1. nonnulla, & alia adiicio, ut explicem, quid filij, ac famuli circa hoc possint, & non possint exercere. Generatim itaque proculdubio excusantur filij, serui, famuli, uxores, & alij subditi, qui iusto metu compulsi à parentibus, à marito, à dominis in festis serui-festo laborare, lia opera exercent. Quia metus ille grauis excusatur à præcepti positui implatione, nisi coactio illa esset in ipsius contemptum præcepti. Lege Nauarrum sum. cap. 13. num. 7. Santium tom. 2. Confil. libr. 2. cap. 3. num. 4. Fagundez de præc. Eccles. libr. 1. cap. 14. num. 9. Excusantur agricolæ, qui compulsi ab iis, à quibus pacta mercede pro singulis diebus conducuntur, die festo laborant. Quia cum exigens illud opus feruile mercedem proportionatam soluat, & ipse lucri nihil acquirit, præsumi debet, id esse necessitate exigere: nisi aliunde contrarium constasset. Fagund. citat. Pasqualig. decis. 298. num. 3. Excusantur subditi, ad excusandam grauem parentis, mariti, seu Domini indignationem. Quando autem indignatio debeat grauis censeri, colligendum est ex graui latione, quæ timetur, & ex tristitia, qua subditi afficiuntur. Leand. de præc. Eccles. tract. 1. d. 6. q. 32. Iam quæsierim, num barbitonorum famuli excusantur à culpa, dum à dominis compulsi in festo laborant?

307 **N**on excusantur, si sint liberi. Quia non sint obligati ad seruendum, tenentur dominos re-  
inquire.



famuli liberi linquere, si alios possunt in eadem Urbe, vel non excusantur. Oppido adire, qui cum diebus festis laborare non cogatur. Sic Sanchez tom. 2. Confil. lib. 5. cap. 2. dub. 18. num. 19.

308 Excusantur planè. Quia & ipsi barbitonfores excusantur, vel ratione consuetudinis ab omni culpa, vel ratione paruitatis materiae, à mortali piaculo: Ergo fortiori ratione famuli coacti excusabuntur. Ita Pasqualig. decis. 298. num. 7. Leand. de præc. Eccl. tract. 1. d. 6. quas. 33.

309 Idem tenet: & plura de tonsoribus addit. Cum his opinor, adiciens, etiam si aliquando contingat, non excusari dominos, adhuc tamen famulos excusari. Quia ad ipsos non pertinet discutere quando addit causa laborandi legitima, & quando non: ad sunt etenim sub directione dominorum, ad quos id spectat. Et cum sapienter causa addit legitima, possunt presumere semper adesse, nisi ipsis constet oppositum. Ut autem quid in hac materia ferè certum æstimem, exponam. Crediderim, ubi non fauet consuetudo, barbitonfores solum venialiter delinquere, si in labore duarum horarum non excedant spatium, (quidquid Archidiaconus contra communem asserat mortaliter delinquere.) Quia paruitatem materiae non excedit Diana alios referens, part. 1. tract. 15. resol. 34. Trull. lib. 3. Decalog. cap. 1. dub. 10. num. 1. Fagund. de præcept. Eccles. lib. 1. cap. 14. numer. 2. A veniali excusatur tendens in festo aliquem, qui celebraturus est Missam novam, vel nuptias. Quia sufficiens est admodum causa. Sanchez tom. 2. Confil. lib. 5. cap. 2. dub. 21. numer. 5. citans Nauar. Tolet. & Caiet. Trull. lib. 3. Decalog. cap. 1. dub. 10. num. 14. Nec venialiter peccat, dum omnes suos parochianos in festo tondet propter Paschatis solemnitatem: Si diebus aliis profectis fuerit occupatus. Quia hæc sufficiens est causa, etiam aliis exclusis circumstantiis. Leand. citat. quas. 36. Nec delinquit qui diebus festis assollet pergere ad tendendum agricolas. Quia adest illius Oppidi publica utilitas, & privata tonsoris, qui die profesto proprio in Oppido suo muneri de-erit. Sanchez num. 6. Trull. numer. 14. Pasqualig. decis. 289. in. 9. Nec reus est culpa, qui ad suam officinam accedentes tondet. Quia qui diebus festis ad hoc opus accedunt, præsumuntur die profesto esse legitime ob opera seruilia, quibus visitant, exercenda, impeditos. Sanch. m. 2. 6. & 7. Diana resol. 34. Trull. m. 14. Nec mortalem culpam incurrit, qui postquàm aliquos ratione necessitatis ab omni culpa excusantis in festo totidit, alios sine vlla necessitate per duarum horarum abrasit spatium. Quia cum ex materia prohibita, & non prohibita vna materia prohibita non coalescat, semper prohibita in sua remanet paruitate. Paschalig. num. 7. & 8. A mortali excusatur, qui tonsuram in die festo petit. Quia opus petit in parua materia, non tamen à veniali liberabitur, nisi aliàs id cum causa rationabili postulet.

Sanchez apud Pasqualigum consentientem

num. 10.

\* \*

\*

## PROBL. LXXXIII.

Excusantur, & non excusantur artifices, qui tabulata extruunt in festo, ad comœdia publicam recitationem. Vbi de sartoribus, aliisque artificibus plura enuncio.

Non excusantur. Quia ad huiusmodi publicum spectaculum nulla suadet utilitas, non excusantur nulla cogit necessitas. Sic nonnulli Doctores. Sanchez tom. 2. Confil. lib. 5. cap. 2. numer. 24.

Excusantur planè. Quia huiusmodi representationes non sunt Reipublicæ inutiles (si tamen fiant modo debito, & congruo tempore, & cum aliis circumstantiis, quæ communiter abunt in his actionibus præcipue cum à comœdis recitantur) ob publicam recreationem quæ necessaria ad relaxandum animum reputatur. Igitur si in die festo comœdia est recitanda, etiam necessum erit, opus illud seruile exercere. Sanchez num. 24. Pasqualig. decis. 191.

Crediderim non excusari, si tabulata antè diem festum extruere potuerint, & è consilio ad diem festum reservauerint: secus si opus illud non potuerint præuenire. Ceterum, ut Confessarii instruantur, quoniam modo se se debant cum huiusmodi mechanicis gerere artificibus attexam, quod ferè certum sine vlla controuersia in his rebus existimem. Non excusantur sartores, qui in die festo solum ratione consuetudinis prætendunt perficere in die festo vestes pro illa die indendas. Quia huiusmodi consuetudo, licet valde sit frequens, non tamen est recepta, nec à Præfibus tolerata. Sanchez tom. 2. Confil. lib. 5. cap. 2. dub. 21. num. 1. Pasqualig. decis. 290. non bene citans Lindon. Lopez. Caieta. & Nauar. A mortali verò excusabuntur ob materie lenitatem, si tempus duarum horarum non excedant. Et si vestes, quas conficiunt, de seruire debeant ad nuptias, aut funus illa die celebrandum ab omni piaculo liberi erunt. Quia quadam moralis adest necessitas. Trull. lib. 3. Decalog. cap. 1. dub. 10. num. 10. Layman. lib. 4. tract. 7. cap. 1. num. 2. Diana part. 4. tract. 4. resol. 62. Necnon immunes erunt à culpa, si opus perficiunt in festo, eo quod timeant, aliquo affici damno non leui, & iniuria active reprehensione. Quia præceptum cum tanto non ligat incommodo. Pasqualig. decis. 290. Excusantur Artifices quique, qui pro causa Reipublicæ conuenienti vestes, tabulata, vel alia eiusmodi perficiunt, erigunt, ornant. Quia & necessitas, & consuetudo honestant. Sotus lib. 1. de iust. quas. 4. art. 4. ad 3. Azor. part. 2. lib. 1. cap. 28. quas. 4. & 5. Suar. tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 32. num. 5. Textores, qui in festis instrumenta artis præparant, absolute loquendo non excusantur à mortali, si notabile tempus infumant, nisi id aliàs consuetudo honestet. Sanchez num. 1. Virgente arctitudine temporis, excusantur à piaculo, qui die festo laborant in providendis rebus ad expeditionem Indiarum necessariis. Suar. num. 5. Dummodò antè diem festum hæc non potuerint omnino præueniri. Equidem quia opera huiusmodi non possunt regulariter provideri, ut antè festum perficiantur,



## Secl. II. De Præcepto III. Problemata. 229

tur, eo quod ferè plus temporis consumitur, quam prævidetur: non est nimium scrupulosè procedendum. Quia ex regulari necessitate protrahendi, quæ solet intercedere, censenda est licita procrastinatio in diem festum, tanquam eorum, quæ moraliter non possunt non protrahi. Suar. 10. 1. de Relig. l. 2. 1. cap. 2. n. 8. Fagund. de præc. Eccl. l. 1. c. 14. n. 5. Trull. l. 3. Decal. cap. 1. dub. 10. num. 5. & 8. Azor. tom. 2. lib. 1. cap. 28. quæst. 5.

### PROBL. LXXXIV.

*Excusantur, & non excusantur à periculo qui ferrant iumenta iter non agentia.*

<sup>313</sup> *Cerium præ-*  
*mit.* **C**ertum est, ferrantes die festo iumenta iter agentium, excusari. Quia sicut excusatur iter agens eques arripens die in festo iter: eodem modo debet excusari gerens in festo id, sine quo iter geri non potest. Bonac. tom. 2. d. 5. quæst. uni. punct. 3. num. 4. Sayr. in Clavi l. 7. cap. 2. num. 6. Tabie. v. Feria, num. 25. & alij communiter. Dubitabis verò, an excusentur à crimine ferrantes equum aliudve iumentum iter eo die festo non acturum?

<sup>314</sup> *Non excu-*  
*santur.* Minime excusantur. Quia necessitas non adest, nec consuetudo licentiam impertit: nam nec introducta legitime est, nec opus id permitti affolet à prælatis nisi ob necessitatem accidentem. Sic Sanchez 10. 2. Consil. l. 5. cap. 2. dub. 18. num. 4.

<sup>315</sup> *Excusantur.* Excusantur, qui ferrant equos, aut mulas eorum, qui altera proxima die diluculo facturi sunt iter, aut in agrum ad laborandum egres-  
furi. Quia instat operis huius servilis necessitas ad itineris, vel agrestis laboris commoditatem. Ità Ioan. de la Cruz part. 1. sum. præc. 3. art. 1. concl. 3. Vival. part. 4. Candelab. cap. 5. num. 25. Leand. de præc. Eccl. variat. d. 6. q. 50. & alij.

<sup>316</sup> *Idem affir-*  
*me, & expe-*  
*no.* Prædictò licet verum sit non excusari à peccato ferrantes equos existentium in populo, nec acturorum illa die iter, eo quod necessitas non adest: excusantur tamen, qui ferrant iumenta eorum, qui altera sequenti die diluculo acturi sunt iter, aut in agrum ad laborandum, egressurij enim hoc legitima cōsuetudine est receptum. Ex qua quidè etiam fabriferrariis licet agere, aut reficere vomeres agricolarum festis post vespèrum, vt die sequenti summo mane possint egredi ad agrorum culturam.

### PROBL. LXXXV.

*Licet, & non licet die festo pontes, fontes, publicas vias, & alia huiusmodi reficere eo quod sine incommodo non valeant hæc in dies profestos differri.*

<sup>317</sup> *Non licet.* **N**on licet. Quia tanti momenti opera nequeunt tam graue incommodum ex dilatione, aut vnus, aut alterius diei festi interruptione accipere, vt non facillè possint opera interfecari: Ergò non licebit sine speciali dispensatione, huic operi incumbere. Sic Caiet. Esob. & Mend. Theol. Moral. Tom. IV.

tan. 2. 2. quæst. 122. art. 4. Sotus lib. 2. de iust. q. 4. art. 4. Nauar. sum. cap. 1. 1. num. 11. citati à Fagundez de præc. Eccl. lib. 1. cap. 14. numer. 24. Attamen Nauar. se statim explicat, asserens non licere vias publicas sternere in festo, quavis pietas erga viatores exerceatur, nisi magna urgeat necessitas. Imo ex Doctoris explicatione colligo sentire, rarò huiusmodi posse se necessitatem offerre, nè opus ad diem profestum differatur.

Licet quidem, quando refectio pontium, fontium, viarum, & aliarum rerum huiusmodi quæ sunt publici vltus, non potest sine magno incommodo differri. Quia arctiori ratione providendum est necessitati publicæ, quam privatæ: unde si licitum est, opera servilia exercere die festo ob privatam necessitatem, quando ea moraliter loquendo, differri non possunt in profestum diem: multo verius licebit hæc omnia opera gerere ob communitatis utilitatem. Ità Fagund. citatus num. 23. Suar. tom. 2. de Relig. l. 2. c. 3. 2. n. 5. Syluest. v. Dominica, quæst. 5. Angel. verb. Feria num. 28. & 30. D. Antonin. part. 2. tit. 9. cap. 7. §. 5. Azor. tom. 2. lib. 1. cap. 2. q. 1. Tolet. lib. 9. ca. 15. num. 4. Tabie. ver. b. Feria, num. 23.

<sup>319</sup> *Hoc certum*  
*existimo.* Existimo, hanc sententiam adeo esse certam, vt à nullo Doctore possit abnegari. Vnde crederim non solum Nauarum, sed & Sotum & Caietanum à nobis esse. Quid enim magis receptum quam ob necessitatem privatam a publicam quem posse ab omni culpa esse immunem, die festo operi servili dum incumbit? scio aliquos ex Doctoribus pro secunda sententia citatos doctrinam limitare: modo id non fiat principaliter ob lucrum. Tamen Superius sæpe docuimus, opus de se illicitum non reddi propter pretium.

### PROBL. LXXXVI.

*Excusantur, & non excusantur à peccato, qui causa pietatis in festo servilia opera exercent.*

**E**xcusantur omnino. Quia in cap. Conque-  
sta, de feriis, habetur, iudicialia prohibita in festis licita esse pietatis aut necessitatis causa. Ergo quamvis ad servilia exercenda necessitas non urgeat, poterunt exigente pietate exerceri. Sic Gloss. ad id c. v. Pietas. Palat. su. v. Festorum violatio. Angel. v. Feria, n. 9. 28. & 12. Ioan. de la Cruz p. 1. su. præc. 3. d. 3. n. 4. Margar. Conf. præc. 3. Aco. ver. su. c. 17. Perez l. 2. de ordin. i. d. 5. Syluest. v. Dominica, q. 5. Tabie. v. Feria, n. 18. 37. & 41.

<sup>320</sup> *Excusantur*  
*pland.* Non excusantur. Quia observatio festorum, quæ cessationem à servili opere includit, est opus Religionis præceptum: Ergo præferendum operi pietatis, & quoddam sit superioris ordinis opus, & quia præceptum. Ità Caiet. 2. 2. q. 12. a. 4. & sum. v. Festorum violatio. Suar. 10. 1. de Relig. l. 2. c. 21. n. 3. & c. 32. n. 7. Lopez 1. p. Instr. c. 52. Trull. l. 3. Decal. c. 1. dub. 10. n. 6. Diana p. 4. ar. 4. resol. 177. Leand. de præc. Eccl. tr. 1. d. 6. q. 4. Palas 10. 2. ar. 9. d. 1. pu. 10. n. 1. & 2. Sanch. 10. 2. Consil. l. 5. c. 2. dub. 23. n. 10. Filluc. rr. 27. n. 157. Fagund. de præc. Eccl. l. 1. c. 14. n. 6. Azor. v. 2. cap. 28. q. 4. Bonac. 10. 2. d. 5. q. vii. pu. 3. n. 7. Nauar. sum. c. 13. num. 4. 10. & 11.

Hanc



322  
Hanc senten-  
tiam longe  
probabiliorem  
esse reor.

Hanc sententiā longe probabiliorem esse putarim. Assero itaque pietatis opera per se semper esse licita, ut sepelire mortuum, argrotanti deservire: servilia autem opera, quæ accidentiter possunt ad pietatem ordinari nequaquam possunt ex pietatis ratione esse licita in festo, nisi necessitas exposcat. Et quia in iure non conceditur, sicut opus iudiciale: quod quidem esset in festo licitum, nisi Ecclesia prohibuisset: non enim est servile. Ex his colligo, excusari à peccato, qui in festis curant infirmos, mortuos sepeliunt, nudos ornant, & similia charitatis opera exerunt. Quia licet aliqua huiusmodi operum includant quid servile, sunt pietatis per se. Bassius v. *Festum* 3. num. 3. Suar. tom. 1. de Relig. l. 2. cap. 21. num. 13. Excusantur artifices, qui diebus festis pauperi in magna necessitate existenti consueunt vestes, quod ipse efficere non potest. Quia sicut necessitas propria à præcepto excusat, etiam proximi necessitas excusabit. Fagund. de præc. Eccl. l. 1. cap. 14. num. 16. & 19. Excusantur, qui in festo servilia exerunt, pertinentia immediata ad Dei cultum. Trull. l. 3. Decal. cap. 1. dub. 10. num. 5. Suar. tom. 1. de Relig. l. 2. cap. 21. n. 8. Excusantur, qui in festis pullant organa, ac cymbala, musicis utuntur instrumentis, deferunt in processione Crucem. Quia licet opera hæc aliquomodo sint servilia, ita tamen coniuncta sunt divino cultui ut eadem sit ratio ac de cultu ipso: nam accessorium principale sequitur. Tolet. l. 4. cap. 25. num. 2. Azor. tom. 2. l. 1. cap. 28. q. 5.

## PROBL. LXXXVII.

*Eximuntur, & non eximuntur à piaculo, qui in die festo laborant, ut ex lucro elemosynas pauperibus erogent.*

323  
Eximuntur.

Eximuntur quidem. Quia omnia servilia opera si fiant in pauperum subsidium, minime sunt prohibita: inducunt enim misericordiae præferendæ præcepto rationem. Sic Sylvest. v. *Dominica*, q. 5. citans Monaldum.

324  
Non eximuntur.

A peccato lethali non excusantur. Quia non est præferendus actus misericordiae ut sic præcepto, sed actus misericordiae quo actu indiget pauper: alias enim nunquam non liceret artificibus omnibus diebus festis laborare, imo & voto ad id se adstringere, ut elemosynam elargirentur, quod proculdubio est fallum, & contra communem usum, ac sensum Ecclesiæ. Ità Suar. tom. 1. de Relig. l. 2. cap. 21. num. 14. Fagund. de præc. Eccl. l. 1. cap. 14. num. 19. Navar. sum. cap. 13. num. 10. Palas tom. 2. tract. 9. punct. 10. num. 2. citans Caietanum, Reginaldum, Manuelem, Bonacinam, & alios.

325  
Auctoritas sententia.

Certe ut necessitas excuset ab operis servilis cessatione debet esse actu existens in aliquo particulari paupere, quæ moraliter sit nota, & patens ita, ut si in eo die festo ei per opus servile non succurras, quando aliter non potes: absque subsidio relinquetur: nam vix inveniatur alius, qui ei gratis eo die succurrat. Non itaque sufficit necessitas eorum pauperum in communi, qui se se obtulerint. Quia opera præcepta non sunt pererogatoriis postponenda.

## PROBL. LXXXIX.

*Excusantur à lethali peccato, & non excusantur, qui sine rationabili causa Tempia tapetibus exornant die festo, hostias conficiunt, &c.*

Certum reor ex rationabili causa, nempe quod commodè non potuerint die festo fieri, licitum esse in die festo hostias conficere, Tempia mundare, eius parietes ornare tapetibus, vias publicas ad processionem præparare, &c. Filliuc. tr. 27. num. 218. Sayr. in *Clavis*, l. 7. c. 2. 3. & alij communiter. Quæstio autem est, num id possit sine vilo piaculo geri, quando rationabilis causa non adest?

Non potest id sine peccato geri: rei enim sunt lethales criminis, qui notabile tempus obsumunt illis in operibus, quæ præcedentibus diebus profectis agere potuerunt. Quia absque causa in festo opera servilia exercent. Sic Conrad. in respons. p. 2. q. 22. 3. & alij, quos prolo nomine refert Diana p. 3. tr. 5. res. sol. 8.

Excusantur quidè à culpa mortali, sed à veniali minimè. Quia remotiores sunt à Dei cultu, & ex se serviles, communes ad alia loca: at quia ad cultum (licet ita remotè) ordinantur veniale piaculum non excedunt. Sic Suar. tom. 1. de Relig. l. 1. c. 11. n. 11. Tolet. l. 4. c. 25. n. 2. Caiet. 2. 2. q. 122. a. 4. & in sum. v. *Festorum* violatio. Fagund. de præc. Eccl. l. 1. c. 14. n. 4. Azor. p. 2. l. 1. c. 28. q. 5. Trull. l. 3. Decal. c. 1. dub. 10. n. 5. Palas tom. 2. tr. 9. d. 2. punct. 10. n. 1. Sanch. tom. 2. Confess. l. 2. c. 2. dub. 22. Diana citatus, & alij apud ipsos.

Profecto crediderim, aut necessarium esse, fateri, exercentes præfata servilia opera in festo absque rationabili causa peccare mortaliter, aut nullum peccatum committere. Quia materia de se est prohibita, & gravis, ut supponitur. Ergo si non honestatur ex eo quod in Dei cultum ordinetur, verè remanet in sua natura, & necessario lethalis criminis erit obiectum. Undè non omnino displicet mihi (Palas qualigi decif. 287. n. 3. & Leandri de præc. Eccl. tr. 1. d. 6. q. 62. sententia, asserentium, ab omni peccato excusari, qui illa servilia opera in festo exercent, etiam sine vlla rationabili causa. Quia probabile est, (ut Suarius & Filliucius fatentur) ornare altaria, eaque mundare, sacerdotales extrahere vestes, & alia similes actiones, licitas esse in festo, vel quia non sunt serviles vel si sint, non censentur per legem prohibita eo quod cultui divino sint vicina: idè ergo asserendum de decoctione hostiarum &c. Cæterum iam fert consuetudo, ut omnia hæc absque scrupulo exerceantur. Sic illi, quorum sententiam satis probabilem esse reor, sed secundæ, (nempe venialiter delinquere, qui huiusmodi opera sine causa rationabili in festo exercet) ut cõmuni, & probabiliori adherco.

## PROBL. XC.

*Tota die festi, aut illius parte notabili dare operam ablucendis sacris vasis, Purificatoriis, & reliquis linteis Sacerdotibus, & alia huiusmodi, est, & non est prohibendum.*

Prohibitum non est. Quia licet lavare, de se sit opus servile, desinit servile esse, dū non est propter circa materiā sacrā versatur. Quod ex eo patet huiusmodi quia ablucere purificatoria, & vasa sacramentale munus



## Seet. II. De Præcepto III. Problemata. 231

munus est sacre personæ, nempe Subdiacono iniunctum: persona autem sacra quatenus talis est, & non est operi servili destinata: Ergo licitum est id vel per totam diem geri. Sic Pasqual. *decis. 189.*

<sup>331</sup> *Est prohibi-*  
*um.* Est prohibitum. Quia lanare, quid mechanici-  
cum est, & servile de se: Ergo ad quacumque per-  
sona siue sacra, siue non sacra id fiat, semper erit  
servile opus. Ergo in festis prohibitum. Certè  
abluerè vasa sacra, purificatoria, & alia huius-  
modi, non ita pertinet ad personam sacram  
nempe ad Subdiaconum, ut non possit alia non  
sacra id munus exercere, habent enim privile-  
gium ad hoc gerendum laici Regulares: Ergo  
non ex eo præcisè, quod vasa sacra mundare, ac  
purificatoria diluere ad Subdiaconum attineat,  
desinere esse opus servile, quod ex se habet. Ita  
Leand. de præc. Eccles. tract. 1. d. 6. quæst. 6.

<sup>332</sup> *Aut vi re-*  
*solutio.* Existimo, ex se esse opus servile, nec à servi-  
tute liberari ex eo quod sacra iniungatur per-  
sonæ: potest enim ad huiusmodi opus, ut decen-  
tius geratur sacra persona destinari. Si igitur  
Subdiaconus, vel qui hoc ex privilegio potest  
munus exercere, tota die festi, aut notabili spa-  
tio huic ministerio operam impendit, proculdu-  
bio præceptum violabit. At quia ad cultum di-  
vinum pertinet opus etiam notabile tempus  
infumatur, non audeo omnino operatorem à  
veniali piaculo liberare, sed crediderim posse  
à mortali. Quia lenis labor est, redolens piete-  
tem, præsertim si aliqualis causa excusans ac-  
cedat.

### PROBL. XCI.

*A peccato immunis est. & non est, qui festo  
die agros Ecclesie colit, veri, metit, Tem-  
pora extruit, lapides, & ligna ad adifi-  
cium deportat.*

<sup>333</sup> *Immunis est.* Immunis est. Quia huiusmodi opera licet ser-  
vilia sint ad divinum cultum spectant. Sic  
absolute Angel. verb. Feriæ, num. 9. 8. & 32. Pa-  
lati. sum. verb. Fessorum violatio. Alcozer sum. cap.  
17. Sa. verb. 1. estum, num. 6. asserens absolute ex-  
cusari à peccato laborantes in festo pro loco pio.

<sup>334</sup> *Non est im-*  
*munis.* Non est immunis, nisi casu, quo Ecclesia, pro  
qua quis laborat in festo, pauperula existat.  
Quia hæc opera verè servilia sunt, & laboriosa  
admodum, remotèque ad divinum cultum ordi-  
nata ex relatione duntaxat operantis: Ergo pro-  
hibita. Ita Caiet. 2. 1. quæst. 2. art. 4. Sotus libr.  
2. de iur. quæst. 4. art. 2. Navar. sum. cap. 13. num. 4.  
& 10. Suar. tom. 1. de Relig. lib. 2. cap. 21. num. 12.  
Bonac tom. 2. d. 5. quæst. 1. pun. 3. num. 6. Filliuc.  
tract. 27. num. 156. Trull. libr. 3. Decalog. cap. 1.  
dub. 10. num. 5. Reginald. lib. 19. num. 48. Palaus  
tom. 2. tract. 9. d. 2. punct. 10. num. 1. Sanch. tom. 2.  
Consil. 1. 5. c. p. 2. dub. 13. num. 3.

<sup>335</sup> *Hæc mihi ser-*  
*vitium.* Hoc probabilis esse reor, & mihi ferè cer-  
tum Vnde asseruerim, minimè licere præfata  
servilia equidem opera, nisi necessitas Ecclesiæ,  
quæ extruitur, vel cui agri coluntur, id exigat,  
nempe quod pauperula sit adeo, ut non valeat  
sibi de huiusmodi necessariis aliunde provide-  
re. Verùm sola necessitas sine vlla Superioris li-  
centia excusabit à culpa, modo sit patens, & in-  
dubitata. Vnde si quis Episcopus præcipiat sub  
Esob. & Mend. Theol. Moral. Tom. IV.

excommunicatione lata, ne quis in festo labo-  
raret, nullatenus ligaret eos, qui istam habe-  
rent causam laborandi. Sicut nec alligaret ad-  
huc, si in excommunicatione præcipiatur, ne  
quis neque ex causa necessitatis aut caritatis  
opera hæc in festo exerceret. Quia huiusmodi  
excommunicatio gravem, & intolerabilem con-  
tinet errorem, & idè est irrita, utpotè contra  
dispositionem cap. ultim. de feriis, concedentis  
laborare in festis necessitate, aut pietate vrgen-  
te. Sanch. citat. dub. 18. m. 10. & alij communiter.

### PROBL. XCII.

*Liberantur, & non liberantur à crimine, quæ  
die festo laborant, ne prætereat occasio lu-  
crum notabile acquirendi, quod alias  
acquirere non possent.*

<sup>336</sup> *Liberantur*  
*quidem.* Liberantur quidem. Quia in c. Licet, de feriis,  
dispensat Pontifex, ut piscatores valeant  
dare operam captioni illius piscis nomine Ale-  
cia, qui certo anni tempore affolet transire, ne  
illud lucrum transitorium amittatur: Ergo hu-  
iusmodi concessio ad quodlibet aliud lucrum  
transitorium potest extendi, cum eadem militet  
ratio. Et quia præceptum abstinendi ab opere  
servili in die festo non obligat cum tanto dis-  
pendio, qualis est magni lucri extraordinarij  
amissio, quæ pro magno damno debet reputari.  
Sic Caiet. sum. v. Fessorum violatio. Angelus verb.  
Feriæ, m. 1. Rosel. ibid. Armil. v. Festum, num. 20.  
Fernandez p. 1. Examin. c. 7. §. 1. n. 6. Diana p. 2.  
tr. 15. resol. 34. Alcozer sum. c. 17. Bonac. to. 1. d. 5.  
q. uni. pun. 3. m. 15. Sanch. to. 2. Consil. 1. 5. c. 2. dub.  
19. num. 2. Sayr. in Clavi, l. 7. cap. 2. num. 10. Pas-  
qualig. decis. 185.

<sup>337</sup> *Minimè libe-*  
*rantur.* Minimè liberantur. Quia actio laborandi in  
festis ob acquirendum aliquod magnum lu-  
crum non est licita ex eo quod permittatur in  
c. Licet de feriis: quia textus ille expresse loquitur  
de lucro publico, & transitorio, & quod so-  
lummodo unico anni tempore occurrit: quæ cir-  
cumstantia cum non reperitur in lucro omni  
transitorio, ac privato, fit, ut dispensatio illa non  
habeat ob rationis identitatem locum in eo. Ita  
Reginald. l. 19. n. 5. Trull. 3. Decal. c. 1. dub. 10.  
n. 14. Palaus to. 1. tr. 9. d. 2. punct. 10. m. 3. Filliuc. tr.  
27. n. 12. Abulens. ad c. 12. Exo. q. 13. Sylvest.  
v. Dominica, q. 4. Suar. to. 1. de Relig. l. 2. c. 23. n. 9.  
Leand. de præc. Eccles. tr. 1. d. 6. q. 73. & alij.

<sup>338</sup> *Hæc probabi-*  
*lius esse in dō-*  
*co.* Profectò, hæc sententiam probabiliorē  
esse crediderim. Quia amissio lucri magni for-  
ti contingentis, seu casu occurrentis nullatenus  
pro damno notabili reputatur, cuius causa de-  
beat cessare præcepti obligatio: sicut cessat pro  
evitando damno emergente, aut pro alia gravi  
occurrente necessitate. Addiderim tamen hu-  
iusmodi actionem laborandi in festo ob lucrum  
notabile transitorium acquirendum, licitam fieri  
omnino, si accedat Superioris dispensatio.  
Episcopi scilicet, vel si hic adiri non possit, Pa-  
rochi. Quia sufficiens proculdubio causa hæc re-  
putari debet, ut perenti huiusmodi licentia sine  
scrupulo concedatur.